DE

FEVDIS LIGIIS

CONSENSV

MAGNIFICI ICTORVM

ORDINIS



DISPVTABIT

LVDOVICVS SIGFRIDVS

COMES VICEDOMINVS

AB ECKSTAEDT

RESPONDENTE

IO. FRIDERICO L. B. DE STEIN

AB ALTENSTEIN

DIE XX. APRIL. MDCCXXXVI.

LIPSIAE

LITERIS BREITKOPFIANIS.

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQVE DOMINO
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
REGI POLONIAE

MAGNO DVCI LITHVANIAE RVSSIAE PRVSSIAE MASOVIAE SAMOGITIAE KYOVIAE VOLHYNIAE PODOLIAE PODLACHIAE LIVONIAE SMOLENSCIAE SEVERIAE ET CZERNICHOVIAE

DVCI SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE MONTIVM ANGRIAE ET WESTPHALIAE SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-MARESCHALLO ET ELECTORI LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE ET SVPERIORIS INFERIORISQVE LVSATIAE

BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI COMITI PRINCIPALI HENNEBERGICO COMITI MARCHAE RAVENSBERGAE ET BARBYAE DYNASTAE IN RAVENSTEIN
ETC.

DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO

SERENISSIME AC POTEN-
TISSIME REX,
DOMINE CLEMEN-
TISSIME,

Dum nexum inter vaſallos li-gios et dominos ipſorum me-cum reputo, ſimul deuotiſſima re-

colo

*colo mente duplex illud et ſubiectio-
nis et feudale vinculum, quo propi-
tia naſcendi ſors REGIAE MA-
IESTATI TVAE me adſtrinxit.
Vt igitur AVGVSTISSIMO
NOMINI TVO primitias haſce
Academicas, perenne pietatis et ob-
ſequii monumentum, conſecrare
auderem, ex ipſo argumento fiducia
naſcebatur. Confirmabat animum
tum ingenita TIBI in bonas litte-*

ras

ras propenſio, tum clementia ſingularis, qua me bis iam, ſub auſpicatiſſimum TVVM ad hanc Muſarum ſedem aduentum, ſtudioſae iuuentutis nomine pia vota humillime offerentem, excepiſti. Supremo Numini pro perpetua REGIAE MAIESTATIS TVAE et SERENISSIMAE REGINAE incolumitate ac felicitate, CELSISSIMIQVE PRINCIPIS

CIPIS

*CIPIS REGII et totius AV-
GVSTAE DOMVS ſalute ar-
dentiſſime ſupplico,*

*SACRAE REGIAE MA-
IESTATI TVAE*

deuotiſſimus et obſequentiſſimus

LVDOVICVS SIGFRIDVS
COMES VICEDOMINVS AB ECKSTAEDT.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

* §. XV.



§. I.

In consideratione ſtatus Imperiorum publici liberalibus, et ad rerum cauſas cognoſcendas, enitentibus ingeniis, nihil potius, nihilque accuratiori examine dignius occurrere poteſt, obligationis vinculo, quo ciues ſuperioribus, et ſuperiores ciuibus viciſſim ſunt obſtricti. Sicuti enim ex mutuo hoc imperantis et parentium habitu ipſa Imperii forma totiusque regni compages dignoſcitur; ita quoque, vel plane ſublato eo, vel aliquantiſper immutato, aut penitus corruit, aut ad minimum in aliam

conuertitur. Voluens haec animo, operae pretium me facturum esse, arbitratus sum, si, ad edendum specimen academicum, partem huius nexus nobilissimam delibarem. Etenim constitutum mihi est in praesenti, ex iure feudali ea paulo vberius examinare, quae ligiam vasallorum erga dominos fidem respiciunt. In quo proposito animus eo magis confirmatus fuit, quo pauciores hanc rem data opera excutiendam sibi sumserunt. Alii enim in commentariis suis feudalibus quasi aliud agendo feuda ligia obiter tantummodo attigerunt: Alii, qui, ex instituto illam se tractaturos, professi sunt, aut breuiter et strictim, prout e re ipsorum visum fuerat, disseruere (1), aut singularia quaedam huius doctrinae solum capita explicauerunt (2). Alii denique fusius et maiore cum cura, quae hac in parte sparsim latebant, collegerunt, casusque dubios accuratiore diligentia inuestigarunt (3). Cum vero horum sententiis non vbique accedam, haut alienum a studiis meis visum est, eorum opiniones aut refellere, aut diuersas recensere, nec vllam, nisi idoneis probatam

argu-

argumentis, meam facere. In ipſa vero elaboratione hanc ingredi viam meditatus ſum. Antequam ad tractationem feudorum ligiorum me accingam, generaliter quaedam de feudis praemittam, et ſtatum feudorum Imperii tam antiquum, quam mediae et recentioris aetatis, repraeſentabo, vt deinceps ad feuda ligia eo melius tranſire, totamque materiam non interrupta ſerie perſequi poſſim.

(1) Qualis Diſſertatio STEPHANI KVHNLEIN *de ligia Principum Imperii fide*, Altorf. 1705 habita.

(2) Quod fecit AVCTOR *Conſiderationum feudalium binarum*, quarum altera *de obligatione ex ligio reſultante feudo agit*, Hannouerae, 1708, 8.

(3) IO. IAC. GERCKENRODIVS in Diſſert. *de feudis ligiis et non ligiis*, Marburgi Cattorum, 1722.

§. II.

Feudorum qui originem ex hiſtoria aliiſque monumentis eruere ſibi propoſuerunt, in tantas inciderunt difficultates, vt vix aliquid certi hac in re ſtatuere poſſent. Multi ſcilicet, illam auguſtiorem quaſi reddi, crediderunt, ſi a Romanorum inſtitutis arceſſeretur. Neque tamen omnes, qui

hanc fouent opinionem, feuda ex eodem fonte deriuant, ſed ea nunc a praediis illorum ſtipendiariis (1), nunc a clientelis (2); nunc a limitaneis agris (3) repetunt. Innituntur autem duobus praecipue locis, apud AELIVM LAMPRIDIVM in Alexandro Seuero (4), et FLAVIVM VOPISCVM in Probo (5), ex quibus apparet, Imperatores militibus ea, quae ab hoſtibus caperent, ſub militandi conditione conceſſiſſe. Sed quamuis alii, iſtos agros, quoad conditionem militiae, conuenire cum feudis, concedant; in reliquis tamen, et in eo maxime, quod hereditario iure ad filios tranſirent, ab illis differre, contendunt. Plerique vero recentiores ſcriptores ad antiquiſſimos Germaniae mores feuda referunt (6), incerti tamen, cuinam genti eorum incunabula ſint tribuenda. Multi enim ſolis illa Francis (7), alii Longobardis, populo itidem Germanico (8), adſcribunt. Nec deſunt, qui perſuaſum habent, pedetentim apud plures gentes Germanici ſanguinis inualuiſſe, vt ſub promiſſione fidelitatis, et praeſertim in bello, exerceretur liberalitas, donec

nec ſpecialis quaedam feudorum diſciplina efformaretur (9). Huic autem militandi conditioni fidelitatis adhuc lege adiecta, vaſalli magis magisque dominis obſtringebantur, ex qua tandem obligatione ligium illud vinculum fuit enatum.

(1) LVCAS DE PENNA *in Comment. ad l. Quicunque Cod. de omni agro deſerto.*

(2) GVILIELMVS BVDAEVS *ad l. Herennius D. de Euictione.*

(3) Vt CAROLVS FRESNEVS DV CANGIVS, in *Gloſſario mediae et infimae Latinitatis* voc. feudum. IAC. GOTHOFREDVS *ad l. 1. Cod. Theodoſ. de terris limitaneis;* quibus nuper acceſſit NICOLAVS HIER. GVNDLINGIVS *in Gundlingianis* P. I. n. 1. §. XI.

(4) c. 58. *Sola, quae de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus et militibus donauit, ita vt eorum ita eſſent, ſi heredes illorum militarent, nec vnquam ad priuatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent.*

(5) c. 16. *Veteranis omnia illa, quae anguſte adeuntur, loca priuata donauit, addens, vt eorum filii ab anno octauo decimo mares duntaxat ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari, quam militare, diſcerent.*

(6) Inter quos praecipue HVLDERICVS AB EYBEN *in Electis feudalibus* II. 1. 5. 6. IV. 1. ſeq. et ITTERVS *de Feudis Imperii* c. 1. §. 7. ſeq.

(7) CAROLVS MOLINAEVS *Comment. ad Conſuetudines Pariſ.* tit. 1. de feudis.

(8) GVIDO PANCIROLLVS, et GRYPHIANDER *de Weichb. Sax.* c. 49. n. 2.

(9) STRYCKIVS *in Exam. Iur. feudalis* cap. I. quaeſt. 4.

§. III.

Inter tot vero iuris feudalis ſcriptores, varias excogitatas fuiſſe feudi definitiones, dum quiſque pro captu ſuo aut nouam inuenit, aut inuentis aliquid adiecit, eo minus mirandum eſt, quo rarius, qui eandem rem tractant, eadem de illa ſentire ſolent. Omnes tamen eo fere redeunt, quod feudum ſit *res, in dominium vtile ſub lege fidelitatis conceſſa.* Formam igitur feudi in dominio feudali et mutua fidelitate ponunt. Qui autem accuratius indolem feudorum explicare voluerunt, triplicis generis attributa notauere, eſſentialia, naturalia, et accidentalia. Eſſentialia vocant, quae feudum ita conſtituunt, vt deſinat feudum eſſe, vbi illa deficiunt: Qualia ſunt dominium directum et vtile, itemque promiſſio fidelitatis feudalis. Naturalia appellant qualitates, quae, ſecundum naturam feudi, in quouis eorum genere praeſumuntur, donec probetur con-

contrarium, quo pertinet, vt vafallus iurato promittat fidelitatem, vt praeftet feruitia etc. Ad accidentalia denique referunt conuentiones, quae a contrahentibus adduntur. Ex his tribus fingulorum formulam feudorum dimetiendam effe, arbitrantur.

§. IV.

Prout variae feudorum funt affectiones, quarum aliae adeffe debent, aliae abeffe poffunt, ita variae quoque exinde diuifiones enafcuntur. Praecipua eft, cum feudum diftinguitur in proprium et improprium; proprium fubdiuiditur, in vetus et nouum. Refpectu obiecti feudum eft vel ecclefiafticum, vel feculare; ratione dignitatis, vel ignobile, vel nobile, quod iterum, aut regale, aut non regale, et hoc denuo modo mediatum, modo immediatum eft. Intuitu fitus aut loci, diftingui folet in feudum in curte, et extra curtem. Porro, quoad obligationem, diuiditur in ligium et non ligium, de qua diuifione infra plenius agemus. Feudis propriis annumeratur etiam feudum datum. Impropria vero feuda

funt,

ſunt, reſpectu acquiſitionis, feminina. Huc etiam plerumque refertur feudum oblatum, quod quidam ratione conſtitutionis agnoſcunt, vbi vero ſemel conſtitutum, a proprii natura, non credunt, recedere; quoad obiectum feudum improprium vocant, quod in re mobili conſtituitur, vt eſt feudum pecuniarium. Intuitu ſeruitiorum diuiditur in francum, vbi nulla praeſtantur ſeruitia, et conditionatum, vbi illa ſunt reſtricta; quo pertinent feudum Palatinum, caſtrenſe, cenſuale, quaternatum, guardiae, guaſtaldiae, aduocatiae, aperturae, et quae ſunt reliqua. Quemadmodum vero pleriſque pactorum generibus nouae ſemper leges adiici poſſunt; ita hoc in feudis etiam ſaepenumero contingit, adeo, vt ſi ad ea, quae ſingulorum propria ſunt, reſpicias, infinitas fere feudorum ſpecies poſſis effingere.

§. V.

Ex tanta ſeruitiorum praeſtandorum varietate ea ſolummodo decerpemus, quae ad militiam ſpectant, cum omnibus, qui leges feudales

Lon-

Longobardorum, Francorum, Sueuorum ac Saxonum inſpexerunt, cognitum ſatis perſpectumque ſit, potiſſimas vaſallorum praeſtationes in ſeruitiis militaribus conſtitiſſe (1), atque feuda inde imprimis ortum habuiſſe. Non tamen omnium eadem erat ſeruitiorum ratio. Multi enim vaſalli dominos contra omnem hoſtem, legibus non exceptum, & in quemcunque locum (2), ipſimet ſequi tenebantur, quod ſeruitium corporis appellabant (3). Alii ad certos ſolum vſque fines, et limitatum tempus, dominum comitari cogebantur (4). Alii vero, quorum conditio, aut ex gratia principis, aut ex pacto, melior erat, non extra prouinciam in hoſtem ibant (5). Interdum etiam expeditionem quidem non ſuſcipiebant, miſſo tamen ſubſtituto extra patriae fines, aut ſoluta dimidia reditus annui parte, quod Heribannum Franci nominarunt (6), ipſi ad patriae defenſionem ſine vlla excuſatione erant adſtricti (7). Qui autem dominis ſeruitia praeſtare denegabant, feudo mulctabantur (8), nec ipſis illud militiae detrectandae cauſa licebat alienare (9). Quod

cum in omnibus fere feudis contingat, et omnes vasalli ad defendendam patriam arma suscipere teneantur, eo magis in feudis ligiis hoc locum habere debet, quo fortius illud vinculum feudale stringit.

(1) Conf. I. Feud. 1. §. 4. I. feud. 5. princip. Ius feud. Sueu. art. 8. n. 1. et Sax. c. 5.

(2) RIGORDVS in ann. 1188. *Rex Francorum Philippus Pulcher Richardum Regem Angliae quasi hominem suum commonuit, vt, sicut iurauerat, mare cum eo transiret.*

(3) *Regestum Andegauense* sub an. 1310. *Les Barons sont hommes liges de Monseigneur, et li doivent services de corps, et de chevaux, et d'armes.* Plura exempla vid. apud FRESNEVM Gloss. voc. seruitium corporis.

(4) *Ius feudale Sueuic.* cap. VIII. §. 1. seqq.

(5) FRESNEVS voc. hostem: *E prouinciis seu e territoriis dominorum suorum excedere pro expeditione facienda non fuisse adstrictos vasallos, diserte habet.* GVIBERTVS lib. 5. Hist. Hierosol. c. 24. *Barones Bohemici in vita Caroli IV. Imp. sub finem: Domine Rex, de iure nostro existit, et ab antiquis temporibus inuiolabiliter obseruatum, quod extra regnum non debemus armis proficisci, sed intra regni limites ipsum regnum contra eos, qui hoc hostiliter inuadere conantur, pro viribus defendere et tueri.*

(6) De Heribanno vid. plura apud FRESNEVM voc. Heribannum, add. P. PITHOEI *Aduersar. Subseciu.* L. II. cap. vlt.

(7) FRESNEVS loc. dict. *Non omnes tamen hostes, vel hostem facere tenebantur, vt loquuntur Leges Longobard.* lib. 3.

lib. 3. tit. 4. §. 3. 4. Capitul. *1. an. 810. c. II. Capitula Caroli C. tit. 31. c. 26. et Append. 2. 30. sed qui hostem debebant, vt est in iisdem Capitulis, tit. 43. c. 18. vel qui per se poterant expeditionem facere*, tit. 31. c. 27. *Vt qui caballos habebant vel habere poterant, ibidem. c. 26. ita tamen, vt interdum expensarum partem alii, qui in hostem non pergebant, iis exsoluerent, qui expeditionem suscipiebant. Sed et nec illi immunes erant a bellicis oneribus: nam, vt est in d. c.* 27. *illi, qui in hostem pergere non poterant, iuxta antiquam et aliarum gentium consuetudinem ad ciuitates nouas, et pontes ac transitus paludium operabantur, et in ciuitate atque marcha Wactas faciebant, ita vt ad defensionem patriae omnes sine vlla excusatione venire tenerentur: quod et habet* EGINHARDVS *Epist. 22. Adde Capitula Caroli C. tit.* 7. *c.* 69.

(8) II. feud. 24. §. 2.

(9) *Leges Longobard.* lib. 3. tit. 9.

§. VI.

Haut minores difficultates occurrunt, vbi speciatim de feudorum Imperii Romano-Germanici origine disquiritur. Plerique (1) illam a Caroli M. deducunt temporibus, cum, hoc regnante demum, Imperium Romanum Francico Germanicoque regno fuerit vnitum. Non desunt tamen, qui eam ad Ottones proferant, persuasi, feuda a Carolo M. constituta, Imperii feudorum nomine insigniri non posse, quia per Imperatoris

titulum folummodo hereditarium dominium Romae, et prouinciarum, quas Imperatores hactenus in Italia per Exarchos rexerant, consecutus fuerit. Qui vero primam amplexi sunt sententiam, sub Ottonibus quidem formam suam accepisse feuda Imperii, fatentur, sed tamen iam Caroli M. aeuo illorum indicia reperiri, vrgent; Siquidem ille plura et maximi momenti constituerit beneficia (2) et subactis Longobardis, Saxonibus, aliisque variis populis, duces, comitesque ad dies vitae praefecerit, qui has prouincias regerent, nomine Imperatoris subditis ius dicerent, Imperatoremque in bello (3), postulante necessitate, comitarentur. Posterioris autem opinionis fautores imprimis monent, acquisitum a Carolo M. Romanum Imperium non tam Germanicum, quam Romano-Francicum dici debere, adeoque vix vltra Ottonis M. tempora in indaganda feudorum Imperii Romano-Germanici origine, adscendi posse. Controuersiam, vtrum feuda Imperii originarie data, an oblata fuerint, ita diiudicandam esse, crediderim, quod neque

mere

mere feuda data, neque mere oblata, ſed quaedam a ſtatibus bona Imperatoribus in feudum oblata, alia ab Imperatoribus in feudum ſtatibus conceſſa cenſeri debeant.

(1) Inter quos eminet ITTERVS c. I. §. II.

(2) AYMONIVS lib. V. c. I. *Ordinauit autem per totam Aquitaniam Comites Abbatesque plurimos, quos vaſſos vulgo appellant.*

(3) HERMANNVS VVLTEIVS *de iuriſdict. in praefat.*

§. VII.

Caeterum Caroli Magni aeuo temporaria fuerunt beneficia, donec ſub Ludouico Pio, et poſteris eius, mos inoleſceret, vt praedia ſempiterno iure poſſidenda concederentur (1). Cumque deficiente in Germania ſtirpe Carolingica maiora in dies incrementa caperet auctoritas ducum comitumque, liberiorem ipſi et ad heredes quoque tranſituram imperandi vim meditati ſunt. Id imprimis Henrici Aucupis exemplo conſtat, qui, aequo animo non ferens, paternum ſibi ducatum a Conrado eripi, ita, vel inuito Rege, illum aſſeruit, vt a WITICHINDO dicatur primus

mus in Saxonia poteſtate libera regnaſſe. Sub Ottonibus poſtea tam frequens fuit horum comitatuum ad poſteros tranſmiſſio, vt quidam affirmare non dubitent, Ottonem M. omnes ducatus atque comitatus ad hereditariam reduxiſſe formam. Proferunt plerumque exemplum Hermanni Billungi, cui Otto I. ducatum Saxoniae hereditario iure conceſſerit (2). Eodem modo ab Ottone I. Conradum Francum Sapientem Lotharingiae ducatum accepiſſe, ſcribunt (3). Sed haec etiamſi ita ſe haberent, non tamen probarent, in omnibus Germaniae prouinciis, ac comitatibus hanc ſuccedendi rationem his temporibus inualuiſſe, atque ſtabilitam fuiſſe, cum plura exempla in contrarium proſtent. Otto enim M. filiis Arnulphi Mali, ducis Bauariae, ademit ducatum (4), eique Berchtoldum, Arnulphi fratrem praefecit, cui mortuo, Henricus, regis frater, ſucceſſit. Quin in ipſa Billungorum ſtirpe, poſt obitum Bernhardi I. illius filius Bernhardus non hereditario iure, ſed Epiſcopi Meinwerci demum precibus ab Henrico II. ducatum Saxoniae obtinuit.

nuit. Conradum Salicum eo ſibi deuinxiſſe animos, refert WIPPO (5), *quod non ſuſtinuerit, vt antiqua parentum beneficia vlli poſterorum auferrentur.* Inter grauamina, quae Saxones contra Henricum IV. Imperatorem proferebant, praecipuum fuiſſe, aiunt, quod non ſucceſſionem in bona parentum, ſicuti anteceſſores, permiſerit (6). Imo ante Henricum VI. multa huius generis praedia perſonalia fuiſſe, non obſcure prodit GERVASIVS TILBERIENSIS (7): *Hic* (Henricus VI.) *Imperator legem inſtituit apud Teutones, vt, Gallorum et Anglorum more, militiae ſucceſſionis iure deuoluerentur ad proximiores cognationis gradus, cum antea magis penderent ex principis gratia.* Hinc etiam repetunt nonnulli, quod tempore Ottonum comites non dicti fuerint a comitatibus, ſed comitatus potius a comitibus acceperint nomen (8). Quae cum ita ſe habeant, haud obſcure intelligitur, non omnes Imperii ſtatus vno eodemque tempore ſucceſſionem in ſuis beneficiis fuiſſe adeptos, neque certum tempus, quo adepti ſint, definiri

poſſe,

posse, quamquam omnibus fere aetatibus exempla quaedam ducatuum aut comitatuum hereditariorum occurrant. Hoc vero hereditarium ius aeque, ac superioritas territorialis, quam status Imperii, turbulentis Henricorum et interregni temporibus, sibi quaesiuisse, nonnulli existimant, sub Carolo IV. per Auream Bullam, intuitu prouinciarum, quas Principes electores tenerent, et sequentibus seculis per Imperatorum capitulationes, reliquis omnibus magis magisque confirmatum, ac tandem per pacem Westphalicam, cum caeteris illorum iuribus et praerogatiuis, penitus est assertum.

(1) De Imperatore Ludouico I. Caroli M. filio, ita scribit antiquus Historicus, THEGANVS, in vita et gestis eius c.19. apud P. PITHOEVM *in Collect. rer. Francic. Erat Imperator in tantum largus, vt antea nec in antiquis libris, nec in modernis temporibus auditum est, vt Villas Regias, quae erant sui et Aui et Tritaui, fidelibus suis tradidit, eas in possessiones sempiternas et praecepta construxit, et annuli sui impressione, cum subscriptione manu propria, roborauit.*

(2) Quod CHRISTOPHORVS LEHMANNVS *in Chronico Spirensi* lib. V. cap. 5. probat testimoniis ALBERTI ABB. STAD. sub ann. 961. et CRANZII lib. IV. cap. 6.

(3) Plura exempla extant in NICOLAI MYLERI AB EHRENBACH *Archologia ordinum imperial.* c. IX. §. 2.

(4)

(4) SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad ann. 936. AVENTINVS *Histor. Boi.* Lib. IV. et V. in principio.

(5) In vita Conradi Salici p. 429. edit. PISTORII.

(6) Quod GVNDLINGIVS in *Gundlingianis* Part. III. n. I. §. IX. animaduertit.

(7) In libro, quem Ottoni IV. Caesari dedicauit et *Otia belli Imperialia* inscripsit.

(8) Hoc ab HENRICO MEIBOMIO in vindiciis Billunganis obseruatum fuit pag. 20. *Non erat apud veteres Germanos moris, quemadmodum nunc est, vt a territorio, quod vel praesidatus iure, vel hereditario possidebant, nomen sumerent, qui cum imperio erant; quin potius ipsi regionibus appellationem dabant. Exempla sunt in medio, ex quibus pauca Saxonica attingam. In Metropoli Cranciana lib. II. cap. XXX. memoratur villa Wallia in Comitatu Bernarii. Diploma Ottonis M. Imp. Magdeburgense de anno DCCCCXXXVII. meminit Comitatus Thietmari in pago Nort-Thuringia: et Comitatus Geronis ac Christiani. Otto II. Imper. in priuilegio Mindensi, dato DCCCCLXXIV meminit Comitatus Bernhardi Comitis. In priuilegiis eiusdem Caesaris, Osnabrugensi sub data DCCCCLXXV. Hamburgensi de anno DCCCCLXXXIII. et DCCCCLXXXIIX. nominatur Comitatus Bernhardi Ducis. Idem Imp. in diplomate Gandesheimensi anni DCCCCLXXII. meminit Comitatus Rotwigi Comitis. Infinita huiusmodi exempla reperias in diplomatis veterum Impp. Germanicorum: ex quibus planum fit, quod dixi, Comites olim non a territoriis gubernatis nomen accepisse, sed eis impertitos.*

§. VIII.

Ducum comitumque officia eo erant com-

parata, vt et iurifdictionem refpicerent, et rem militarem. Id, quoad duces, fpeciatim leges Boioariorum (1) non obfcure innuunt, dum eorum munia ita definiunt, *vt in exercitu ambulare, et populum iudicare debeant.* Et ducibus quidem praecipua in bello auctoritas (2), iifque regulariter comites fubordinati fuiffe creduntur (3). Hinc, tanquam aliquid fingulare, notat FREDEGARIVS (4), in bellum contra Vafcones decem duces cum exercitibus, *exceptis comitibus, qui fuper fe ducem non habebant*, perrexiffe. Praeterea a comitibus ad duces caufas grauiores, quibus diiudicandis ipfi impares erant, fuiffe delatas, conftat ex legibus Boioariorum (5). Comites praefertim iudicis munus obierunt (6), eo difcrimine, vt comitibus prouincialibus non liceret ius dicere in palatio, palatini vero faepe numero in prouincias ad dirimendas caufas mitterentur (7). Nullus tamen eorum militiam, neque in bellis defenfiuis, neque offenfiuis, potuit detrectare (8): atque ita reuera tam arcte obftricti fuerunt regibus, quam ligii vafalli dominis fuis; adeo vt, fi

non

non bene fungerentur officiis, aut decretum regis contemnerent, honoribus et beneficiis priuarentur (9).

(1) Tit. II. cap. 34.

(2) GREGORIVS TVRONENSIS lib. IV. cap. 45. f. 51. edit. THEODOR. RVINART. *Rex Godegisilum et Guntchramnum duces in capite dirigit.*

(3) ANNAL. FRANCORVM ann. 748. *Pipinus Griphonem, fratrem suum, ducum more, duodecim comitatibus donauit.*

(4) In Chronic. cap. 78.

(5) Tit. II. cap. 5. §. 4. *et si talis homo potens hoc fecerit, quem ille comes distringere non potest, tunc dicat duci suo et dux illum distringat secundum legem.*

(6) Formulam institutionis eiusmodi comitis ex Charta Caroli M. adfert MEIBOMIVS ad WITICHINDI L. II. *Quapropter in illa parte Saxoniae Trutmannum, virum illustrem, ibidem comitem ordinauimus, vt resideat in curte ad campos, in mallo publico, ad vniuersorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda: iisque aduocatum omnium Presbyterorum in tota Saxonia fideliter agat, superque Vicarios et Scabinos, quos sub se habet, diligenter inquirat, et animaduertat, vt officia sua sedulo peragant: tandem idem comes omnia sua sibi singulariter a nobis praescripta toto conatu ac viribus perficiat, etc.*

(7) FRESNEVS verb. Comites Palatini: *Neque tantum in palatio ius dixere comites palatini, sed etiam in prouinciis. Auctis enim et longius productis Regni ac Imperii finibus, quo subditorum leuaretur labor, ac eorum impensis parceretur, mittebantur subinde comites palatii, qui supremo iure Iustitias, vt tunc loquebantur, facerent, et cau-*

causas, quas ab iis dirimi ac iudicari necesse erat, terminarent. Quae variis testimoniis atque exemplis more suo confirmat.

(8) GREGORIVS TVRONENSIS lib. VI. c. 41. item c. 19. et alibi passim.

(9) Quod apparet ex loco apud LEHMANNVM *in Chronico Spirensi* lib. II. cap. 16. *Si quis dux de prouincia illa, quam rex ordinauerit, tam audax, aut contumax, aut leuitate stimulatus, seu proteruus et elatus, vel superbus atque rebellis fuerit, qui decretum regis contempserit, donato dignitatis ipsius ducatu careat, insuper spe supernae contemplationis sciat, se esse condemnatum, et viam salutis amittat.*

§. IX.

Non multum a vero abludit, ex talibus ducum comitumque officiis partim orta esse territoria et regalia, quae hodie Imperii status stabili iure possident. Vtrum autem ea feudi, an allodii iure, ab Imperio teneant, in varias Doctores sententias discesserunt. Sunt, qui affirmare non dubitent, omnia Principum feuda, Henrici VI. Imperatoris sanctione, in allodia, hoc est, ab omni clientela, libera et soluta, transmutata fuisse (1); alii vero, status Imperii, omnesque fortunas ipsorum feudali vinculo ab Imperio pendere, contendunt. Sed nec vnam, nec alteram sententiam sine discrimine

crimine admittendam eſſe, putauerim, cum non ſolum mere allodialia (2) et feudalia (3) inueniantur bona, ſed etiam mixta, vbi nempe regalia feudali lege habent ſtatus, fundus vero allodialis eſt (4). Feuda Imperii, prout quiſque vinculum, quo ſtatus Imperatori et Imperio ſunt obſtricti, vel laxius, vel arctius ſibi finxit, varie fuerunt definita. ITTERVS (5), qui fuſius atque operoſius plerisque aliis hanc doctrinam pertractauit, illa definit *feuda ligia*, *quae Imperator aut Imperii conſors elargitur*, *Vaſallos ad fidelitatem ſibi atque Imperio exhibendam obſtringens.* Qualiscunque autem eorum ſit natura, id certo conſtat, hodie maiora ab Imperatore ſine praeſcitu et conſenſu ſtatuum non poſſe conferri (6). Neque hos Imperatori ſoli, ſed Imperio ſimul promittere fidelitatem, ex formulis vbique obuiis (7) conſtat. Hinc Imperator quoque illam ſtatuum obligationem ad hereditarias ſuas prouincias extendere nequit (8). Certe, id ne fiat, in Capitulationibus Leopoldi et Auguſtiſſimi Caroli VI. expreſſe cautum eſt (9). Idem etiam argumentum

initio huius ſaeculi Elector Colonienſis, pro cauſa ſua tuenda, adduxit, variiſque exemplis ex hiſtoria illuſtrauit (10). Eiuſmodi bellum fuit, quod Leopoldus, tanquam Hungariae Rex, aduerſus Suecos MDCLVII. ſuſcepit. In ſolenni contra bello Imperii omnes ac ſingulos ad praeſtanda teneri ſeruitia, extra omne dubium fere poſitum eſt. Quamuis enim non ipſi ſemper expeditionem ſuſcipiant, ipſorum tamen eſt, pecunia, aut militibus, Imperium adiuuare. Nec licet ipſis neutras ſequi partes, niſi venia ab Imperatore et ſtatibus impetrata (11). Quod et dexterrimus iuris publici interpres, IO. IAC. MASCOVIVS, inter alias quaeſtiones non minoris momenti, eo ſpectantes, obſeruauit (12), et poſt illum Vir celeb. FRID. HERMANNVS KEMMERICHIVS data opera excuſſit (13). Quam autem ſtatus, ſecus agentes, Imperatorique et Imperio ſeruitia recuſantes, incurrant animaduerſionem, determinat Receſſus Imperii Norimb. de anno MDXLII. (14), et penes quem huius rei ſit iudicium, in Capitulatione nouiſſima definitur (15).

Idque

Idque argumentum latius nuper, amicissimus nobis, LVDOV. BERNH. L. B. A ZECH, est persecutus (16).

(1) MEIBOMIVS *Opusc Histor.* p. 332. quem confutauit HVLDERICVS AB EYBEN in *Disquisitione de tit. Nobilium* p. 141.

(2) Eorum plura exempla Vir celeberr. BVRCHARDVS GOTTHELF STRVVIVS attulit in libro de *Allodiis* Imperii.

(3) Illa recenset ITTER. de *Feudis Imperii.*

(4) Varia annotat exempla ITTERVS c. VIII.

(5) Cap. II. §. 12. vbi exponit rationes definitionis suae.

(6) Capitulatio Caroli VI. Art. XI. ita statuit: Wann auch ins künfftige Lehen dem Reich durch Todes-Fälle oder Verwürckung eröffnet, und lediglich heimfallen werden, so etwas merckliches ertragen, als Churfürstenthümer, Fürstenthümer, Graf- und Herrschafften, Städte und dergleichen, die sollen und wollen Wir, die Churfürstenthümer ohne des Churfürstl. Collegii, die Fürstenthümer, Graf- und Herrschafften, Städte und dergleichen aber, ohne der Churfürstl. Fürstl., auch (wann es nemlich eine Reichs-Stadt betreffen thut) Städtischer Collegiorum Vorwissen und Consens, ferner niemanden leihen, auch niemanden einige Expectantz oder Anwartung darauf geben; sondern zu Unterhaltung des Reichs, Unser und Unserer nachkommenden Könige und Kayser behalten, einziehen und incorporiren.

(7) Daß sie wollen Ihro Kayserl. Maj. und dem Reich treu, gehorsam und gewärtig seyn.

(8) Contrarium adstruere conatus est ANONYMVS apud LONDORPIVM Part. II. lib. V. c. 47. cum, occasione belli

belli Bohemici, quaereretur, an vasallus imperii, qui Palatino Electori feudali vinculo itidem obstrictus erat, teneatur Imperatorem, qua Regem Bohemiae, defendere.

(9) Art. XI. Noch die Reichs-Lehn-Pflicht auf unser Hauß richten.

(10) Vid. *Manifeste de Baviere*, 1705. editum.

(11) Id expresse sancitum est §. 86. Rec. Imp. de an. 1641. Und demnach die von etlichen Ständen von sich selbst angemaßte Neutralitäten dem Röm. Reich sehr schädlich, den Feinden desselben aber zu Continuirung des Krieges über die maßen behülfflich und vorträglich, zumahlen ein ieder Churfürst und Stand, vermöge des Land-Friedens, auf dessen Handhabung und darauf fundirten Executions-Ordnung, wie auf andern Reichs-Constitutionen, das H. Röm. Reich, so wohl von auswärtigen, als inwendigen Feinden, mit und neben uns, aller Möglichkeit nach, beschützen und defendiren zu helffen, auch die dazu nothwendige Mittel, pro quota beyzutragen schuldig und verbunden ist ꝛc. Setzen, ordnen und wollen Wir, daß nicht allein die von etlichen Ständen allbereit angemaßte und unzuläßliche hochschädliche Neutralität, darunter die von Uns, etlichen Chur- und Fürstlichen Wittiben beschehene Verwilligung nicht gemeint, gantz und zumahlen aufgehebt seyn solle; allermaßen Wir solche hiermit und in Krafft dieses gäntzlich aufheben; sondern daß auch hinführo einiger Stand des Reichs, wer der auch sey, ohn Unser Vorwissen und Genehmhaltung, sich in dergleichen hochschädliche Neutralitäten nicht einlassen sollen.

(12) In Diss. de *bello Imperii solenni* Sect. I. §. 29.

(13) In Diss. de *Neutralitate statuum Imp. R. G. in bello Imperii illicita.*

(14) §. 24. Würde aber jemand, er sey Churfürst, Fürst, geistlich oder weltlich, Prälat, Graf, Herr, von der Ritterschafft und Adel, oder auch von den Frey- und Reichs-Städten,

ten, an Schickung seiner Anzahl Kriegs-Volck, so Ihm, als obsteht, zu dem Zuzug auferlegt, oder auch an Schickung und gebührender Unterhaltung seiner hiebevor, laut des Speyerischen Reichs-Abschieds, auferlegten Anzahl Kriegs-Volcks, oder anderen, so ihm nach Sage desselben Abschieds, oder dieser Ordnung zu thun gebühret, saumig oder ungehorsam seyn, derselbig (wo er ein Geistlicher ist) soll damit alsobald alle seine Privilegia, Schutz und Schirm, die er von Kayserl. Majest. deren Vorfahren, und dem Heil. Reich hat, verwirckt haben, deren privirt und entsetzt seyn. Ist aber der Ungehorsam oder Verbrecher weltlich, so soll er dadurch in der Kayserl. Majest. und des Reichs Acht gefallen seyn, und der Kayserl. Fiscal soll, zu Erklärung solcher Pön und Straff, gegen denselben Ungehorsamen ohn allen Verzug procediren und vollfahren, und im Fall ihres beharrlichen Ungehorsams, soll sie auch der öberste Feld-Hauptmann, mit der dazu nothwendigen Anzahl Kriegs-Volck überziehen und straffen, immassen der obberührte jüngst Speyerische Reichs-Abschied von solcher Straffe weiter ausweist.

(15) Art. XX. Absonderlich aber auch darauf halten, daß hinführo niemand, hohen oder niedern Standes, Churfürst, Fürst oder Stand, oder anderer, ohne rechtmäßige und gnugsame Ursache, auch ungehört, und ohne Vorwissen, Rath und Bewilligung des Heil. Reichs Churfürsten, Fürsten und Stände, in die Acht oder Oberacht gethan, gebracht und erkläret rc.

(16) In eleganti Disputatione de *Proscriptione statuum Imperii R. G.*, quam superiori anno maximo cum applausu hic Lipsiae habuit.

§. X.

Absolutis ex feudorum Imperii doctrina, quae ad institutum nostrum pertinere videban-

tur, eo expeditiores iam ad ipsa feuda ligia tractanda accedimus, quo magis vtraque in multis conspirant, et mutuam sibi lucem affundunt. Ipsam vocem *ligiam* seu ligationem in aliis etiam causis, quam in inuestituris ac feudis, vsurpatam fuisse, innumerabilia fere docent exempla. Non solum enim foedus ac pactum generatim, et arctius quoduis vinculum (1), sed etiam strictius iuramentum denotauit (2). Ligare porro idem subinde fuit, ac sub interdicto ponere (3), siue excommunicare. Non minus perpetuam obligationem designauit (4). Ex omnibus vero huius vocis significationibus haec praecipue notatu digna occurrit, qua de libera, solida et omnimoda, agendi facultate praedicatur (5). Praeterea certum hominum genus extitisse, sub nomine hominum ligiorum, a vasallis ligiis multo diuersum, KLOCKIVS obseruat (6). Hos a vasallis ligiis in eo discrepare, quod homo ligius totus domino deuotus, res suas potestati domini subiiciat, vasallum vero quodcunque feudum solummodo ea lege recipere, vt promittat domino fideli-

fidelitatem contra omnem hominem, et ideo vasallum non nisi de feudo domino esse obstrictum. Quod hominum genus a Gallis ortum esse, testatur FORCATVLVS (7). Quidam cum Solduriis Gallorum, de quibus IVL. CAESAR (8) loquitur, comparant. Tales homines, quos litos, lidos, seu ledos appellabant, adscriptitii seu serui glebae erant. Differebant tamen a servis in eo, quod eorum conditio melior esset. Hoc enim ex compositione seu mulcta pro lito et seruo occisis, quae maior erat in lito, quam in seruo, apparet (9). Haec omnia alius adhuc locus ex FRESNEO (10) corroborare videtur, vbi ligeitatem distinguit in personalem et realem, quarum illa cum hominibus ligiis fere coincidit. Hanc autem distinctionem non vltra saeculum XIII. in vsu fuisse, statim subiungit, cum sequentibus temporibus vnusquisque ligius Ligius de feodo inscriberetur. Hos igitur homines cum vasallis ligiis haud dubie confuderunt Doctores, qui ad feudum ligium requirunt, vt se suaque omnia domino subiiciat vasallus.

(1) Quod FRESNEVS in *Glossar.* verb. *ligatio* ex Notitia ecclesiarum Hispaniae, a RESENDIO ex veteri codice edita, annotat: *Domine, si vis, faciam stabilitatem inter nos, et Ligationem firmissimam, vt non sit soluta vsque in finem saeculi.*

(2) Ita Charta FVLCONIS, Abbatis Corbeiensis, an. 1055. apud eundem voc. *Iuramentum* habet: *De quibus omnibus Comiti et Abbati in hac conuentione Sacramento Ligato tradidit septem obsides, vt, si haec violauerit, aliquando intimabitur obsidibus monere dominum suum, vt se iustificet infra 40. dies, etc.*

(3) ANASTASIVS Biblioth. in praefatione ad VIII. Synodum ibidem voc. *obligati: Ignatius vero dum pelleretur, Ecclesiam ligauit, ne quisquam absque se in ea sacra celebrare tentaret officia. Id est, sub interdicto posuit.*

(4) Sic Ligia residentia pro integra, et continua, sumitur *in Charta P. Episcopi Meldensis* an. 1239. *In Tabulario eiusdem* Eccles. fol. 50. *Honorius III. P. P. Iuramentum praestitisti de facienda residentia, quae Ligia nuncupatur, in Ecclesia S. Martini Turon. in qua Praeposituram obtines.*

(5) Hanc in rem FRESNEVS ex Monastico Anglicano Tom. II. p. 10. sequentia adducit: *Ego Iuliana quondam vxor Willelmi le Bret - - - in Ligia potestate et viduitate mea tetigi et inspexi, etc.* add. p. 53. 329. Alia p. 247. *Ego Beatrix, quae fui vxor Rualdi de Calua, post mortem eius in Ligia potestate mea, etc.* Eodem sensu de tutela, voluntate, etc. adhibitum hoc vocabulum reperimus.

(6) *Relat. Cam.* XXVI. n. 46.

(7) *de Feud.* c. 3. n. 1.

(8) *de Bello Gall.* lib. III. c. 22. *Atque in ea re omnium nostrorum intentis animis, alia ex parte oppidi Adcantuannus, qui summam imperii tenebat, cum DC. deuotis, quos illi Soldurios*

durios appellant: quorum haec est conditio, vt omnibus in vita commodis vna cum his fruantur, quorum se amicitiae dediderint. Si quid iis per vim accidat, aut eundem casum vna ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui, eo interfecto, cuius se amicitiae deuouisset, mori recusaret.

(9) Lex Frision. tit. 15. *Compositio hominis nobilis librae 11., liberi, librae 5. et dimidia, liti, librae 2 et vnciae 9. ex qua duae partes ad dominum pertinent, tertia ad propinquos eius. Compositio serui, libra 1. et vnciae 4. et dimidia.* De his hominibus plura habet FRESNEVS verb. litus.

(10) Verb. Ligium. *Haec realis*, inquit, *ob tenementa in feudum ligium concessa praestabatur, quam qui tenebatur exhibere, Ligium de feodo vocant Chartularia 12. saeculi. Altera vero, quae etiam de corpore et persona dicitur, fit ob annuam pensitationem, quae sub titulo feodali conceditur.* Ad hanc autem praestandam obligatos fuisse omnes successores masculos haereditario iure, probat SALVAINGVS, ex charta ann. 1421. quam refert D. BRVSSEL *de Vsu feud.* L. I. c. II. vnde etiam, qua ratione exhibita fuerit haec Ligeitas, disci potest: *Recognouerunt palam et manifeste, tamquam si essent in iudicio, se ipsos et vtrumque ipsorum suosque in futurum successores, esse, velleque, et debere esse, et suos praedecessores fuisse homines ligios nobiles et fideles de corpore et persona eiusdem domini Cassenatici et suorum successorum prae caeteris dominis, et ante omnes alios homines et dominos huius mundi, etc. - - pro se et tota sua posteritate de corpore et persona, homagia nobilia corporalia et personalia ac fidelitates ligias ante omnes alios homines et dominos totius huius mundi, dicto domino praesenti et recipienti pro se et suis, praestiterunt, nobilium more stando pedes, tenentes manus suas iunctas inter manus eiusdem domini, et osculo pacis inter dictum dominum ac dictos Iohannem et Ludouicum - - praestito.*

D 3 §. XI.

§. XI.

Tantam alii inter hoſce litos, ſiue adſcriptitios, et vaſallos ligios ſimilitudinem ſibi deprehendiſſe videntur, vt ipſum verbum *Ligium* inde deriuandum eſſe, contendant. Adſtipulatur illis FRESNEVS (1), motus tabulis veteribus nonnullis, in quibus vaſallus ligius per vocabulum *Litge* exprimitur (2). Easdem adducit SCHILTERVS (3), et in eo aſſentitur FRESNEO, quod vaſallus eiuſmodi ſtrictior primum non ligius, ſed Litgius vel homo Litges dictus fuerit. Verum ipſam denominationem non cum illo a Litis Francorum, ſed a vernaculo *Lidig*, *Ledig* petit, et hanc deriuationem definitioni feudi ligii omnium maxime conuenire, putat GERCKENRODIVS, quod talis homo vnice domino ſuo contra omnes addictus et ab omni alio nexu liber ſit atque ſolutus. Id imprimis confirmare ſtudet antiquis inſtrumentis, ad quae FRID. SANDIVS (4) prouocat, et in quibus vaſalli ligii et perfecti vernacula *Ledige-Mannen* efferuntur. Atque hoc ſenſu vocabulum *Ligium* ſaepius adhibitum

bitum etiam in aliis rebus fuiſſe, iam dicere occupauimus, quae ſolidum et omnimodum aliquid inuoluunt; vnde nonnullis feudum ligium idem eſt, ac ſolidum, non ligium idem, quod non ſolidum. Sed, quae mira eſt eruditorum in indagandis verborum originibus diſſenſio, alii ab Italico *Liga* (5), quod ſignificat foedus ſeu confoederationem, alii a *Liden* ſeu pati (6), alii a *Lüttig*, parvus (7), alii aliunde ligii appellationem repetunt. FELTMANNVS populum Ligium ſibi finxit et inde vocabuli originem arceſſiuit (8). Singularis eſt etymologia, quam ex FORCATVLO adducit PAVLVS FRANCISCVS ROMANVS (9), ligium a lilio, Gallorum inſigni, ideo deriuante, quod eiuſmodi feuda, in Gallia primum orta, deinde ad Longobardos fuerint tranſlata. VIGNERIVS (10), BIGNONIVS (11), aliique vocem *lige* ex eodem fonte, quo *leudis*, *leodis*, id eſt, fidelis, deducunt, quemadmodum vrbs Leodium Gallice *Liege* dicatur. Qui a verbo ligare deriuant, circa ipſam rationem denominationis variant. Sunt enim, qui ligium

inde

inde dictum volunt, quod hominio ac professione fidei arctius domini seruitio vasallus alligetur (12). Ad quam sententiam tuendam varia scriptorum testimonia adfert FRESNEVS (13). Alii vero (14) a ritu inuestiendi, quo ligatis reges pollicibus vasallos fidei suae adstringere solebant, quemque mox vberius explanabimus, rationem desumunt. CVIACII, DIONYSII GOTHOFREDI aliorumque coniecturam, hominum ligiorum nomen ex homologorum, quos cum illis SPELMANNVS (15) pro Synonimis accipit, appellatione ab imperitis fabrefactum esse, putantium, post IAC. GOTHOFREDVM (16), SCHILTERVS (17) reiecit. Sed nolumus singulis doctorum virorum de huius vocis etymo sententiis excutiendis immorari, quemlibet hic suo sensu abundare, facile patientes.

(1) Voc. Ligius T. IV. p. 207. edit. nouiss.

(2) Charta Rainaldi, Vice Comitis de Gimel, an. 1163. apud IVSTELLVM in *Hist. Turen.* p. 34. *pro isto vero feudo idem Rainaldus fuit homo Litges praedicti Vicecomitis Raimundi.* Alia 1178. ibid. p. 35. *Devan son senior, cui home Litge ero etc.*

(3) *Cod. Iur. Feud. Al.* p. 123.

(4)

(4) *Commentar. in Geldr. Consuetud. Feudal.* Tract. II. Tit. 1. c. 2. n. 7.

(5) ALTESERRA de *Orig. feud.* c. 8. BRVSSEL *de Vsu feud.* T. I. p. 116.

(6) ROSENTHAL. *Synops. Iur. Feud.* Cap. II. Concl. 4. n. 7.

(7) conf. EYBEN *Elect. Feud.* c. III. §. 7.

(8) *De Iure in re et ad rem* c. XIV. n. 29.

(9) Diss. de *Feudis* prima c. III. §. 12.

(10) In Tr. de *minori Britan.* p. 159.

(11) *Ad formulas Marculfi* L. I. c. vlt.

(12) GVID. PAPAE Decis. 309. GLOSS. in Clem. Pastoralis de *Sentent. et re iudic.*, VPTONVS de *militari offic.* c. 18.

(13) l. d. E. g. GVILIELMI APVLIENSIS L. III. de *Gest. Norm.*

Sed tandem fidei iurando iure ligatus.

GVILIELMI ARMORICI L. II. Philippid.

Esse tenebatur homo ligius atque fidelis,
Et, tanquam domino, iurando iure ligari.

(14) IO. IOVIAN. PONTANVS de *Bello Neapol.* L. II. p. 1838. edit. Basil.

(15) GLOSSAR. voc. Homologus.

(16) ad l. 6. C. Th. de *Patrocin. vicor.*

(17) loc. dict.

§. XII.

Ad definitionem potius feudi ligii progredimur, et ipsam maximo Doctorum dis-

fenſu inuolutam. Quidam enim ad eſſentiam eius referunt capita nonnulla, quae ad accidentalia tantum referri debebant, praeterque vinculum, quo ſoli eſt obſtrictus domino vaſallus, adhuc neceſſario requirunt, vt dominus feudum de ſuo concedat. Huius autem opinionis falſitas vel ex eo apparet, quod nulla plane ratio ſubeſt, cur feuda oblata non aeque ligia eſſe, ac data, poſſint: prouti pluribus conſtat exemplis (1). Nonnulli, vinculum ligium adeo conſtrictum eſſe, credunt, vt omnimodam ſubiectionem inducat. Ex quorum ſententia TITIVS (2) diſtinctionem in feuda ligia et non ligia non aliter admittit, niſi per ligium vaſallum illum intelligas, *qui ſoli domino vaſallagio et ſubiectione obſtringitur, et non ligium, quando aliis quoque obligatur.* Sed magnam adhuc, inter vinculum ſubiectionis et ligium, differentiam obſeruare in procliui eſt. Alii praecipuam feudi ligii notam in eo ponunt, quod ſimul in territorio domini directi ſitum eſſe debeat, et ex duplici illo vinculo, ſubiecti & vaſalli, ligium hoc oriri, contendunt (3). Sed praeter-

terquam quod quis feuda ligia in alieno etiam territorio concedere poteſt, vinculum feudale et ſubiectionis non ita ſemper ſunt coniuncta, vt alterum ſine altero eſſe nequeat. Qui vero ad accuratiorem definitionem propius accedunt (4), vnam quidem partem attigerunt, quod nempe vaſallus dominum contra quemcunque teneatur defendere, alteram vero omiſerunt, quae poſtulat, vt a nemine, niſi qui ſuperiorem non recognoſcit, concedatur. Hoc ergo modo haut incommode definiri poſſit: *Feudum ligium eſt, quod a domino, nullum recognoſcente ſuperiorem, ſub hac conditione conceditur vaſallo, vt domino contra quemcunque, nemine excepto, fidelitatem praeſtet, opemque ferat.* Itaque in eo differt feudum ligium a reliquis, quod concedens nemo, niſi ſuperior, eſſe poſſit, accipiens vero domino contra quemcunque, nemine excepto, ſuccurrere debeat. In feudis enim ordinariis vel nulla plane praeſtantur ſeruitia militaria, vel contra certum ſolummodo hoſtem ſunt determinata, aut certe Imperator, vel antiquior dominus ſem-

per, ſiue tacite, ſiue expreſſe, a vaſallo excipitur; qualis dicitur non ligius.

(1) Apud HERTIVM de *Feudis oblatis* Part. II. §. 6.

(2) *Iur. priuat.* lib. XI. c. II. §. 20.

(3) GOTTL. STVRMIVS, *Diſputation. feudal.* Part. I. §. 38. not. k.

(4) Vt compilatores Iuris feud. II. feud. 99. GEORG. OBRECHT. de *Iure Feudor* L. I. c. 5. n. 109.

§. XIII.

An autem, prout definiuimus, feuda exiſtant, acriter in vtramque partem interpretes iuris feudalis diſputarunt. Sunt enim, qui diuiſionem in feudum ligium et non ligium, tanquam commentitiam, plane reiiciant (1); alii vero, eam admittendam eſſe, credunt, ſi pro ſynonimo illius habeatur, qua feuda in mediata et immediata diuiduntur (2). Vtraque autem opinio diſcedere a vero nobis videtur, ſententiae potius eorum accedentibus, qui hanc diuiſionem tuentur. Varia quidem, qui negant, feuda ligia exiſtere, afferunt momenta, quibus theſin ſuam adſtruunt, iactantque primo, merum Doctorum eſſe figmentum

tum hanc diſtinctionem, neque vſpiam in feudorum libris reperiri. Sed ſi demus etiam, DD. illam inueniſſe; haut tamen inde ſequitur, non eſſe fundatam, quandoquidem omnes fere iuris feudalis diuiſiones ex interpretum ingenio enatae, nec tamen reiiciendae ſunt, ſi vſum in doctrina praebere poſſunt. Neque hic feudorum libri, quos habemus, pro norma ſumi debent, quoniam non omnes continent feudorum conſtitutiones, et a priuatis, Friderico I. demum imperante, ſunt compilati, ſub Carolingis autem, et deinde Henrici V. (3) imperio, plura iam extant feudorum ligiorum exempla (4). Quin ipſi feudorum libri, ſi recte inſpicias, huic diſtinctioni auctoritatem conciliant, cum non ſolum vocabulum feudi ligii (5), ſed etiam deſcriptio (6) eius in illis occurrat.

(1) HOTOMANNVS in diſſ. de *Feud.* c. 6. et in *Lexic. feud.* ſub verb. ligius. FINCKELTHAVS *Diſſ. Feud.* II. §. 27. Controu. 14. BENED. CARPZ. *Diſp. Feud.* II. de *variis feudor. diuiſionibus ac ſpeciebus* §. 27.

(2) LANGGVT, *Animaduerſ.* ad COCCEII *Hypomn. Iur. Feud.* Tit. III. §. 11.

 (3) Hunc

(3) Hunc enim comitatum Barri, ſub ducatus titulo, vinculo feudali ligio Rainaldo, comiti de Barr, conceſſiſſe, ex antiquis ſcriptoribus obſeruat CHIFLETIVS, in *Commentario Lotharienſi*, c. I.

(4) Quae congeſſit FRESNEVS in Gloſſar. h.

(5) II. Feud. 99.

(6) II. Feud. 93.

§. XIV.

Alterum argumentum, quo feuda ligia negantes, ſententiam ſuam fulcire conantur, ex feudorum textibus depromunt (1), qui praecipiunt, vt vaſallus in omni feudo dominum iuuet contra omnes, ita tamen, vt Imperator et antiquior dominus excipiatur, atque exinde eliciunt, praecipuum feudorum ligiorum requiſitum conuenire omnibus feudis. Praeterquam vero quod non omnia feuda praeſtant ſeruitia militaria, aut multa ſane contra certum hoſtem tantummodo exiguntur (2), eo ipſo, dum quis excipitur, feuda ligia eſſe deſinunt. Porro, errorem huius diuiſionis exinde ortum eſſe, obiiciunt, quod, quem Longobardi vaſallum appellauerint, illum Itali ligium nominarint; vtramque vero vocem vnum idem-

idemque ſignificare. Quod autem ſaepius accidit, vt verbum, per quod apud vnam gentem ſpecies deſignatur, apud alteram genus exprimi ſoleat, et viciſſim; id hic quoque eueniſſe videtur, vt ex ſpecie vaſallorum Longobardici Iuris verbum deſumerent Latini, quod totum eorum genus indicaret. Adeoque haec obiectio noſtram diuiſionem minime euertet. Nec magis iis adſtipulari poſſumus, qui feuda ligia eadem eſſe, ac feuda immediata, contendunt; quippe feuda ligia quidem immediata, ſed non omnia immediata ligia eſſe debent.

(1) II. Feud. 7. II. F. 28. II. F. 55.

(2) Quorum ſupra §. V. diuerſa recenſuimus.

§. XV.

Cauſae, quae origini feudorum ligiorum anſam praebuerunt, certo determinari vix poſſunt, cum plurimam partem probabilitate innitantur. Neque hinc mirandum, neminem adhuc illas memoraſſe. Si coniecturis tamen aliquid dandum eſt, inde imprimis feuda ligia orta videntur, quod,

quod, cum vasalli saepius debita praestare seruitia militaria, vel contra superiorem, vel amicum, vel antiquiorem dominum, recusarent, aut contra dominos rebellarent, hi strictius excogitarunt vinculum, quo illos ad obsequium adigerent, et motus eorum compescerent. Neque definire ausim, vtrum cum ipsa feudorum origine statim ortum ceperint, an vero sensim pedetentimque inualuerint.

§. XVI.

Inuestitura omnis vti symbolice ac, pro diuersitate feudorum, modo per hastam, modo per vexillum, aut gladium, modo per annulum, aut torquem, modo per baculum et annulum, aut deinde per sceptrum, fieri olim consueuit(1): ita quoque feuda ligia symbolis suis atque ritibus gaudent. Qui cum manibus imprimis domini directi et vasalli absoluantur, non alienum hic erit, antequam ipsum inuestiendi ritum proprius perlustremus, communem fere omnium gentium morem expendere, quo manus dextra certissimum fidei atque amicitiae pignus habetur. Iam anti-

antiquiſſimis temporibus et Perſis (2), et Parthis (3), et Numidis (4), et barbaris populis omnibus, ſolemne fuit dextris foedera publice ac priuatim firmare. Graecis idem ſeruatum fuiſſe, teſtis eſt HOMERVS (5). Apud Romanos ſcriptores plurima huius rei veſtigia reperimus. Ita CICERO (6) *dextras fidei teſtes* vocat, et alibi (7) exclamat: *Vbi fides? vbi exſecrationes? vbi dextrae complexuſque?* PLINIVS (8) *dextram oſculis auerſam aperiri, in fide porrigi*, ſcribit. Saepius quoque poetae ad illum morem alludunt (9), et paſſim dextras iungere, fallere, renouare dicuntur, qui vel fidem dant accipiuntue, vel laedunt, vel redintegrant. Inde in numis antiquis coniunctio dextrarum, tanquam fidei, concordiae, mutui amoris, pacis ac foederis, inſigne occurrit (10). Subinde etiam ciuitates, legiones et exercitus, vetere inſtituto, iunctas dextras, ex auro vel argento confectas, pro hoſpitii atque concordiae teſſera, ſibi inuicem miſiſſe, legimus (11). Et ſicuti reliquas corporis partes aliis Numinibus, ita dextram fidei conſecrarunt Gentiles. Sunt (12), qui

rationem, cur dextrae tantum tribueretur, inde deducunt, quod omnis auctoritas dextrae manus virtute constare crederetur. Quo sensu, plurimis veterum scriptorum locis, dextra pro ipsa ponitur virtute (13).

(1) GEORG. ADAM STRVVIVS, Syntagm. Iur. Feud. c. III. STRYCK. *Ex. I. F.* c. XII. Q. 7.

(2) De illis praeter XENOPHONTEM, DIODORVM SICVLVM aliosque, quorum testimonia BRISSONIVS in Persicis coegit, testantur CORN. NEPOS in Datame c. X. et Q. CVRTIVS de *Rebus gestis Alex. M.* L. VI. c. 4. ad quem locum varia huius moris exempla FREINSHEMIVS summo studio collegit.

(3) De his IOSEPHVS *Antiquit. Iud.* L. XVIII. c. 12. vbi colloquii inter Artabanum, Parthorum regem, et Praesidem Romanum, mentionem facit, sic habet: *Et* dextram *dedit, tanquam* maximum confidentiae argumentum, *apud omnes illos barbaros; neque enim fidem fallet quisquam ex iis, data semel dextra, neque fidem habere dubitabit, tale securitatis pignus ab iis nactus, a quibus iniuriam sibi metuere poterat.*

(4) Quorum duo memorabilia exempla refert LIVIVS L. XXX. c. 12. Alterum est de Sophonisba, filia Asdrubalis, Poeni, Syphacis, Numidarum regis, vxore, et Masinissa, quo adiuuante Scipio plures hostes in Africa vicit. *Genibus* enim *aduoluta eius*, - - *quum modo dextram amplectens, in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret, propiusque blanditias oratio esset, quam preces; non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed, vt est genus Numidarum in Venerem praeceps, amore captiuae victor captus,* data dextera in id, quod pete-

petebatur, obligandae fidei, *in regiam concedit.* Alterum est de Scipione et Syphace ipso, l. d. c. 13. *His sermonibus circumstantium celebratus rex in praetorium ad Scipionem est perductus. Mouit et Scipionem cum fortuna pristina viri, praesenti fortunae collata; tum recordatio hospitii* dextraeque datae, et foederis, publice ac priuatim iuncti. *Eadem haec et Syphaci animum dederunt in alloquendo victore.*

(5) Il. Ω. vbi postquam Achilles Priamum allocutus erat:
Sic fatus Priami dextram, *ne forte timeret,*
Prendit et hoc dubiam firmauit pignore *mentem.*

(6) *Philipp.* XI. 2.

(7) *In Verrem* V. 40.

(8) *Hist. Nat.* L. XI. c. 45.

(9) VIRGILIVS Aen. III. 610.
Ipse pater dextram *Anchises*, *haud multa moratus,*
Dat *iuueni, atque* animum *praesenti* pignore firmat.
et IV. 307.
Nec te noster amor, nec te data dextera *quondam*
- - *tenet?*
OVIDIVS *Heroid.* II. 31.
Pura fides vbi nunc commissaque dextera dextrae?
SENECA *in Hercule Furente* Act. II. 370.
Sociemus animos; pignus hoc fidei *cape:*
Continge dextram.
Idem in *Thyeste* Act. IV. 764. *datas fidei manus*, et in *Medea* Act. II. 248. *praesidis dextrae fidem*, habet.

(10) vid. SPANHEM. de *Vsu et praest. Numism.* Diss. II. p. m. 118. sqq. edit. Elzeu.

(11) vid. TACITVS *Hist.* L. I. c. 54. et II. 8.

(12) DELRIVS ad SENEC. *Med.* l. d.

(13) De Symbolis dextrae ac sinistrae manus conf. PHIL. CAMERARIVS *Meditat. Hist. Centur.* II. c. 46.

§. XVII.

Notabiliorem adhuc arctioremque modum amicitiam ſanciendi, apud Ponti accolas imprimis quondam vſitatum, nobis deſcribit TACITVS (1), vbi foedus, inter Mithridatem et Rhadamiſtum initum, commemorat. *Mos eſt regibus*, inquit, *quotiens in ſocietatem coeant*, IMPLICARE DEXTRAS, POLLICESQVE INTER SE VINCIRE, NODOQVE PRAESTRINGERE: *mox vbi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leui ictu cruorem eliciunt atque inuicem lambunt:* ID FOEDVS ARCANVM HABETVR, *quaſi mutuo cruore ſacratum.* Apud plures etiam alias nationes receptum fuiſſe, vt foedera et amicitias humani ſanguinis guſtu corroborarent, paſſim ſcriptores veteres nobis fidem faciunt. De Scythis teſtis eſt LVCIANVS (2), de Axiacis ſpeciatim MELA (3), de Armeniis VAL. MAXIMVS (4). Simile quiddam in Lydis ac Medis deprehendimus apud HERODOTVM (5). Sed et veteribus Germanis, aut, vt alii rectius legunt, Carmanis cruentam potionem, velut arctiſſi-

ctissimae amicitiae symbolum, tribuit POSIDONIVS apud ATHENAEVM (6). Sunt etiam, qui illud potionis genus, ex vino et sanguine temperatum, quod Assiratum apud antiquos dictum esse, FESTVS docet, huc trahunt, Romanosque etiam interdum, ad fidem adstringendam, sanguinis potionem adhibuisse, ex Catilinae eliciunt exemplo (7). Totum autem hunc firmandi foedera morem non penitus antiquatum, sed, recentiori etiam aeuo, passim ab Hispanis apud barbaros in America, inter reliqua noui orbis singularia, repertum esse, LIPSIVS annotauit (8).

(1) *Annal.* XII. 46.

(2) Qui, in *Dialogo de amicitia*, ita loquentem inducit Scytham: *Etenim simul atque incisis digitis sanguinem in calicem distillauerimus, summisque intinctis gladiis ambo pariter admouentes biberimus, non est quidquam, quod deinde nos queat dirimere.*

(3) Lib. II. c. I. *Ne foedera quidem incruenta sunt: sauciant se, qui paciscuntur, exceptumque sanguinem, vbi permiscuere, degustant: Id putant mansurae fidei pignus certissimum.*

(4) Lib. IX. c. II. extern. 3. vbi Sariastrum, quem Tigranem Iuniorem vocat, et a Pompeio in triumpho ductum esse, scribit PLVTARCHVS in *Pompeio* p. m. 310., *aduersus patrem suum, Tigranem, Armeniae regem, ita cum amicis consensisse*, memoriae prodidit, *vt omnes dextris manibus sanguinem mitterent atque eum inuicem sorberent.*

(5) Lib. I. n. 13. *Foedera illos iniisse*, refert, *feriendo brachia, qua humeris connectuntur, ac mutuum sanguinem delingendo.*

(6) *Dipnosoph.* L. II. p. 45. edit. ISAAC. CASAUB. quem locum ita Latine interpretatur IAC. DALECHAMPIUS: *Ii namque humane ac benigne cum aliquos excipiunt in conuiuio, frontis vena tusa manantem sanguinem admiscent ei, quam bibendam offerunt, potioni: summam id esse amicitiam putantes, si suum inuicem sanguinem gustarint.*

(7) De illo enim SALLUSTIUS in *bello Catilin.* c. XXIII. scribit: *Fuere ea tempestate qui dicerent, oratione habita cum ad iusiur. populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem, vino permixtum, in pateris circumtulisse; inde cum post exsecrationem omnes degustauissent, sicuti in solemnibus sacris fieri consueuit; aperuisse consilium suum; atque eo dictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii.* Ex quibus intelligitur, quid sibi velit MINUTIUS FELIX, sanguinis foedere coniurasse Catilinam, scribens in *Octauio* c. XXX. Conf. quae IOSEPH. WASSE ad istum SALLUSTII locum commentatus est.

(8) Ad TACITUM l. d.

§. XVIII.

Quam aliae gentes vim atque auctoritatem in sanciendis foederibus dextrae tribuerunt, eam prae caeteris Germanos coluisse, eo minus dubitandum est, quo maiorem illos laudem fide, constantia morumque integritate, consecutos esse,

no-

nouimus, adeo vt fidem, vel in contractibus, vel in quocunque alio negotio, dextra datam, religiosae asseuerationis instar haberent. Imprimis autem, postquam feuda in vsu esse coeperunt, inualuit, vt, in praestandis hominiis, vasallus *iunctas manus in domini manus immitteret*, hocque modo et fidem domino sponderet, et ab ipso in fidem solemniter reciperetur (1). Quem ritum suae sententiae plurimum fauere putant illi, quibus nomen vassi et vasalli a Germanico verbo *vassen*, quod ligare, stringere, vincire significat, deducunt, et ex eo rationem solemnis tituli (2), qui vasallis hodieque tribui solet, rationem reddere student (3), secus ac alii, quibus magis vasalli deriuatio a Celtica voce *Gwas*, iuuenem, adolescentem virum, item famulum, denotante, arridet (4). Id vero non incongrue inde repetitur, quod, manum alicuius vestire, idem significet, quod tradere, inuestire, manusque illius, cui facta traditio est, vestita dicatur (5). Qui autem communis primum fuit omnibus vasallis ritus inuestiendi, temporis successu ligiis praecipue

pue frequentari coepit, qui, vti dominis ſuis arctiori vinculo adſtringebantur, ita *implicatis manibus ligatiſque pollicibus* (6) ſacramentum fidelitatis ſolebant praeſtare. Quod et conſuetudines feudales paſſim, et formulae iuramenti quam plurimae comprobant, quae, adhibita illa ſolemnitate, a vaſallis pronuntiatae fuerunt (7). Ita, ſeruaſſe hunc morem reges Angliae erga Franciae reges, legimus, ob ducatum Aquitaniae, cuius intuitu ſe vaſallos ligios ſunt profeſſi (8). Eodem modo Vrſus, Nolae et Atripaldi Comes, Ferdinando, Regi Neapolitanorum (9), fidelitatem ligiam iurauit. Neque vſquam facile luculentius huius rei exemplum deprehendas, quam in ritu, quo Philippus, Archidux Auſtriae, et Burgundiae Dux, de Comitatibus Flandriae et Arteſiae, a Guidone *de Rochefort*, Cancellario Galliae, Ludouici XII. Regis nomine, Atrebati (10) fuit inueſtitus; ne quid dicam de Antonio et Carolo, Ducibus Lotharingiae, quorum alter Franciſco I. alter Ludouico XIII. Regibus Gall. ob ducatum Barri ſimile homagium praeſtitit (11). Neque tamen

men ita pertinere hunc ritum ad feuda ligia, exiſtimandum eſt, vt plane omitti non poſſit.

(1) Ex pluribus teſtimoniis atque exemplis, quae FRESNEVS voc. Fidelitas, et Hominium, hanc in rem adducit, vnum hic alterumue decerpſiſſe ſufficiet. Ita BRACTON. Lib. II. Tract. 55. §. 8. *Debet quidem* tenens manus ſuas vtraſque ponere inter manus vtraſque domini ſui: *per quod ſignificatur ex parte domini protectio, defenſio et Warrantia: et ex parte tenentis, reuerentia et ſubiectio.* Conſuetudo Normanniae art. 107. *La forme d'hommage eſt, que le Vaſſal noblement tenant doit etendre* ſes mains entre celles de ſon Seigneur etc. Andegauenſis art. 137. *Ayant* les mains jointes en les mains de ſon Seigneur. Illuſtre exemplum praebet Taſſilo, Dux Boioar., qui, teſtantibus veter. Franc. Annal. an. 757. c. 17. *venit*, in vaſſatico ſe commendans per manus, *ſacramenta iurauit multa et innumerabilia, reliquiis ſanctorum manus imponens; et fidelitatem promiſit Regi Pipino, - - ſicut vaſſus recta mente et firma deuotione per. iuſtitiam vaſſus domino ſuo eſſe deberet.* Simile exemplum Geſta Guilielmi Nothi, Regis Angl. p. 189. exhibent: *Normanniae Ducem Guillelmum, ſub quo tutus foret, ſupplex adiit,* manibus ei ſeſe dedit, *cuncta ſua ab eo, vt miles a domino, recepit.* GALBERTVS in *vita B. Caroli, Comitis Flandr.* n. 90. *primum hominium fecerunt* ita: *Comes requiſiuit, ſi integre vellet homo ſuus fieri: et ille reſpondit, volo: et* iunctis manibus amplexatus a manibus Comitis, *oſculo confoederati ſunt.* Ritum ipſum ob oculos ponit effigies, quam in fronte diſſertationis exhibuimus. Deſumta illa eſt ex R. P. BERNHARD. MONTEFALCONII *Monument. Monarch. Franc.* T. III. vnde, maioris illuſtrationis gratia, ſequentia hic tranſcribere viſum eſt: *Eodem circiter tempore et paulo ante deceſſum Conſtabularii Gueſclinii et Regis Caroli V.*

Dux Borbonius hominium ipsi praestitit pro Comitatu Claromontano in Bellouacensi agro. Quae res depicta habetur in Codice manuscripto hominiorum eiusdem comitatus, ad cuius fidem D. GAGNERIVS *tabellam depictam suam delineari curauit. Etsi vero Proceres et Principes eodem hic ordine locentur, quo in tabulis, idem praestitum hominium referentibus, quas publicarunt* P. MENETRERIVS *et* ABBAS CAVSIACENSIS; *haec, quam nos proferimus, ex diuersa omnino tabula expressa fuit, vt primo conspectu visitur; vnde arguitur, in Camera Computorum plures nonnunquam esse rei eiusdem tabulas depictas. Rex in solio suo sedet, pallio regio amictus, liliis consperso, assutis murium Ponticorum pellibus, coronam capite gestans. Ludouicus II. Dux Borbonius*, ambas manus iunctas, intra Regis manus inserit, *genu flectens, quoddam ceu sertum capite gestans, insignibus suis vestitur; pugionemque habet ab* zona *pendentem. A Regis latere, et a tergo pene visitur Delphinus, insignia Franciae, insignibus iuncta Delphinatus, gestans, et prope illum frater eius, insignibus Franciae cum limbo Aurelianensium Ducum indutus. Pone illos sunt tres Regis Caroli fratres; Andegauensis Dux cum ora rubra, Andegauensium Ducum nota; Biturigum Dux cum ora denticulata; Dux Burgundiae, cum insignibus Franciae et Burgundiae simul iunctis. Qui solio regio manum imponit, est Ioannes Artesius, Comes Augensis, ad cuius latus, et pone solium regium est Franciae Cancellarius, quoddam quasi sertum capite gestans, et virgam manu tenens. Infimo loco in eodem latere quinque proceres sunt, eadem linea et ordine positi. Primus est Constabularius Bertrandus Guesclinius, cuius insignia haec sunt; in argenteo campo aquila nigra, duobus expansa capitibus, cum fasciola rubra, omnia supergrediente. Post illum sequuntur Marescalli Santerranus, et Blanuillaeus, Hugo Castellionaeus, Domni-Petri Toparcha, Sagittariorum Magister, et Ioannes de Vienna, nauium Praefectus, qui omnes insignibus suis ornantur. Ii, qui Borbonium Ducem comitantur, sunt*

sunt Belli-ioci dominus, cuius vestis haec insignia habet: in campo aureo leo niger, cum limbo rubro; Nedoncbellensis, Cambellanus Borbonii Ducis. Is oblongum baculum erectum tenet, in cuius summitate multae claues sunt, claues nempe, vt videtur, castelli Claromontani Bellouacensis. Pone illum est Reginaldus de Tria, cuius insignia sunt campus aureus cum diagonali fascia rubra, cui insidet alia fascia, ex argento et caeruleo colore composita, cum merula nigra. Sub illo est Ioannes Nothus Borbonius, ac pone illum Petrus de Auxio de Moncellis, cuius vestis tesselata est auro et rubro colore: eratque ille Ducis Borbonii Cambellanus.

(2) Vester und lieber Getreuer.

(3) Inter illos sunt BITSCHIVS in *Comment. ad Consuet. Feud.* L. II. T. 52. C. Satis bene p. 665. FRID. SANDE *Consuet. Feud. Geldr.* Tract. prael. c. 1. n. 19. et ITTERVS de *Feud. Imp.* c. V. §. 1.

(4) vid. SCHILTER. *Inst. Iur. Feud.* c. I. §. I. ibique indicatos in notis.

(5) Probat id inter alia *Lex Baiuuar.* Tit. 17. §. 3. *Mei antecessores tenuerunt* (territorium) *et mihi in allodium reliquerunt, et vestita est illius manus, cui tradidi.*

(6) Nimium fere hic coniecturae tribuit ANDREAS KNICHEN de *Vestit. pact.* P. II. c. V. n. 95. dum hanc pollicum ligationem a Romanorum institutis repetit, ab ANGELO POLITIANO, *Miscell.* c. 42., variis veterum, HORATII imprimis, IVVENALIS et PLINII locis edoctus, pollicem premendo fauorem innui, vertendo denegari gladiatoribus solitum fuisse.

(7) Talem ex *Assisiis MSS. Hierosol.* c. 189. exhibet FRESNEVS voc. Ligius p. 202. *Quant home ou fame fait homage au chief Seignor dou Roiaume de Hierusalem, doit estre à genouls devant lui, et* mettre ses mains entre les soues, *et dire li: Sire, je deviens vostre* home lige *de*

tel fié, et vous promets je à garder, et à ſauver contre tous ceaus et toutes riens, qui vivre et mourir puiſſent. Et le Seigneur li doit reſpondre, et je vous en reçoi en Dieu foi et la moie de vos droits, ſauve les miens. Et le doit baiſer en la bouche en foi.

(8) Eiuſmodi eſt profeſſio Eduardi II., Regis Angl., erga Philippum, Regem Franc., quam modo laudatus FRESNEVS ex *Tabulario regio* producit his verbis: *Nous reconnoiſſons par les preſentes lettres, que le dit hommaige, que nous feiſmes à Amiens au Roi de France, combien que nous le feiſſions par parolles generalles, eſt et doit eſtre entendu* Lige, *et que nous devons foi et loyauté porter. Et pour ce que ou tems à venir de ce jamais ne ſoit contens ne deſcort à faire le dit hommaige, nous promettons en bonne foi par nous, et nos ſucceſſeurs Ducs de Guienne, entrerons et entreront à l'hommage du Roi de France, et de ſes ſucceſſeurs, qui ſeront pour le tems: L'hommaige ſe ſera par telle maniere. Le Roi d'Angleterre Duc de Guienne tiendra* ſes mains entre les mains du Roi *de France, et cil qui parlera pour le Roy de France, addreſſera ſes parolles au Roy d'Angleterre Duc de Guinne, et dira ainſi:* Vous devenez homme Lige du Roy de France, *et lui promettés foi et loyauté porter; dites, Voire. Et le dit Roy et Duc et ſes ſucceſſeurs Ducs de Guienne, diront, Voire. Et lors le Roy de France recevra le dit Roy d'Angleterre et Duc au dit hommaige Lige à la foi et à la bouche ſauf ſon droit et l'autrui.* Ita quoque in Homagiis Nobilium Vaſconenſium an. 1363. legitur: *M. Arnaud Amaneau, Seigneur de Labret etc. eſtant à genoils ſans centure, ne chaperon, tenant* ſes mains iunctes par entre les meins dudit M. Lieutenant, eſt devenu homme lige du dit *Roy de Angleterre;* vt plurima alia loca, quae FRESNEVS in *Hominium* congeſſit, omittam.

(9) Totum ritum accurate deſcribit IO. IOV. PONTANVS, de *Bello Neapol.* L. II. p. 1837. ſq. cuius verba hic ſubiicere

iicere e re noſtra duximus: *Vrſus Neapolim ad regem profectus, iurauit de more Neapolitanorum regum in eius verba. Ritus vero iurandi, verborumque huiuſmodi eſt formula. Sedet rex medius regia in ſella, editiore loco conſtituta Aſſident iuxta primi ordinis optimates, ac proceres. Stant inde purpuratorum frequentes ordines, loco quiſque ſuo: regis ad pedes, genibus innitens, a dextra procumbit parte epiſtolarum magiſter, qui nunc Secretarius dicitur: ſiniſtra antiſtes, euangeliorum libros, regio in ſinu aſtratos, tenens. Horum medius genibus et ipſe ille innisus procumbit, qui in verba iurat, vtraque manu libris adapertis impoſita. Ibi epiſtolarum magiſter verba praeit: quae iuraturus in verba, ſequitur. Igitur poſteaquam Vrſus regios ad pedes prouolutus, palmam in codice vtramque expanſam ſtatuit, tum magiſter praeire verba haec coepit: Vrſuſque ea eſt ſecutus: Vrſus ego Vrſinus, Nolae et Atripaldi Comes, Aſculi, Lauri, ac Forini dominus, illorumque et agrorum, et finium, ciuium atque popularium, tibi Ferdinando regi, liberiſque ſucceſſoribuſque in regno Neapolitano tuis polliceor, promitto, ſpondeo pro liberis, ſucceſſoribuſque in hiſce item vrbibus, oppidis, agris finibuſque meis, fidelem meque illoſque vtique futuros, tuiſque illorumque imperiis vbique, meque illoſque parituros, atque imperata facturos, cum hiſce vrbibus, oppidis, agris, finibus, popularibuſque perpetua cum conſtantia et fide. Si quid vero aduerſus teve, illoſue parari fraudis, doliue, inſidiarumue audiero, ſciero, compertumue, ſignificatumue habuero, indicaturum illud e veſtigio ac facturum palam tibique illiſque: officia demum obiturum, meque, illoſque omnia domi, foriſque pace, belloque* aduerſum quoſcunque, *ac pro imperio, quae probi, et fidelis ſubiecti iure, lege, natura, obeunda ac praeſtanda ſunt regi. Deumque his Optimum Maximum teſtem inuoco, perque ſacroſancta haec Euangelia ſciens, volens, libenſque verbis conceptis iuro. Atque his dictis, manus ipſe e libris ſuſtulit. Tum* rex Vrſi manus vtriuſque digitis pollicibuſque apprehenſis, ſuoſque intra pollices iis inſertis, deuinxit illos ſuis, *ſtatuitque ſuper Euangelia. Hic rurſum Vrſus, magiſtro praeeunte*

 verba:

verba: Ego me, inquit, cum liberis, successoribusqus meis, Ferdinandi regis mei domini mei, liberorum, ac successorum eius, ligium hominem *statuo, dedicoque eumque me hic sisto. Haec ter vbi dixit, regios osculatus est pollices, rexque ore suo illius os excepit, moxque comiter appellatum dimisit. Hic est vsitatus iurandi mos in verba regum Neapolitanorum: quique ligios illorum se faciunt, ipsum hunc seruant, dicti inde* ligii, quod ligatis reges pollicibus, illos fidei, imperiisque sic suis vinciant, *atque obnoxios statuant.*

(10) Descriptionem huius solemnitatis ex scriptore aequali, praeter THEODORVM GOTHOFREDVM, exhibet PHILIPPVS CAMERARIVS, *Meditat. Hist.* Cent. II. c. 59. Sed quod stylum inconditum illius saeculi sapit, magis iuuat ex nitidissimo Gallorum Historico, P. DANIELE, eiusque T. IV. ad ann. 1499. communicare: *Il y eut dans cette cérémonie des circonstances assez remarquables pour avoir place dans l'Histoire, d'autant plus que c'étoit une chose extraordinaire, que le Comte de Flandre, l'unique qui restoit des anciens grands Vassaux de la Couronne, ne fit pas son hommage entre les mains du Roy même. Le Chancelier y soutint parfaitement et avec dignité l'honneur de la Personne Royale qu'il représentoit. On prepara pour le Vendredy cinquiéme de Iuillet la seconde Salle du Palais Episcopal. On y mit une estrade à deux dégrez, et on plaça dessus un Siége couvert d'un tapis fleurdelisé. Vn Gentilhomme nommé Thomas de Pleure, et quelques autres Officiers de l'Archiduc vinrent sur les dix heures du matin avertir le Chancelier en sa chambre, que ce Prince étoit en chemin pour se rendre à l'Evecbé: il répondit que, quand il seroit arrivé au lieu ou il devoit rendre hommage, on ne le feroit pas attendre. Vn peu après d'autres Officiers arrivérent, et lui dirent que l'Archiduc étoit dans la premiére Salle. Il les écouta, et demeura en sa place. Enfin les Seigneurs de la Grutuse et de Frameselles lui annoncerent que le Prince étoit dans la seconde Salle où il devoit faire l'hommage. Alors le Chancelier sortit de son apartement qui joignoit la Salle, vêtu d'une robe de velours cramoisi, le chapeau*

peau en tête, précédé d'un Huiſſier du grand Conſeil, qui portoit ſa maſſe haute et découverte, et de deux Rois d'armes du Roi, vêtus de leurs cotes d'armes, et ſuivi de quelques Maîtres des Requêtes et des Sécrétaires du Roy. L'Archiduc ſalua profondément le Chancelier en ſe decouvrant, et lui diſant, Monſieur, Dieu vous doint bon jour; *et ce Magiſtrat ſans dire mot, et ſans ſe découvrir, portant ſeulement la main à ſon chapeau, s'aſſit dans le Siége qu'on lui avoit preparé. Auſſitôt l'Archiduc tête nüe s'approcha et dit,* Monſieur, je ſuis icy venu devers vous, pour faire l'hommage que tenu ſuis faire à Monſieur le Roy touchant mes Pairies et Comtez de Flandre, d'Artois et de Charolois, lesquelles tiens de Monſieur le Roy, à cauſe de ſa Couronne. *Le Chancelier demeurant aſſis et couvert, lui demanda,* s'il avoit ceinture, dague, ou bâton. *L'Archiduc en ouvrant ſa robe, qui étoit ſans ceinture, répondit que non. En même temps le Chancelier* LVI PRIT LES MAINS QV'IL AVOIT IOINTES, ET LES MIT ENTRE LES SIENNES. *L'Archiduc s'inclinant, comme pour ſe mettre à genoux, le Chancelier l'en empêcha, en lui diſant.* Il ſuffit de vôtre bon vouloir; ET LVI TENANT TOUIOURS LES MAINS DANS LES SIENNES, *il lui fit la queſtion accoutumée.* Vous devenez homme du Roy vôtre Souverain Seigneur, et lui faites FOI ET HOMMAGE LIGE pour raiſon des Pairie et Comté de Flandre, et auſſi des Comtés d'Artois et de Charolois, et de toutes autres Terres que tenez du Roi et de ſa Couronne, lui promettez de le ſervir juſques à la mort incluſivement ENVERS ET CONTRE TOVS CEVX QVI PEUVENT VIVRE ET MOURIR, SANS NVL RESERVER; de procurer ſon bien, et eviter ſon dommage, et vous conduire et acquitter envers lui, comme envers vôtre Souverain Seigneur. *A quoi fut répondu par l'Archiduc,* Par ma foi ainſi le promets, et ainſi le ferai. *Le Chancelier reprit en diſant ces mots:* Et je vous y reçois, ſauf le droit du Roi en autres choſes, l'autrui

l'autrui en toutes. *Il lui présenta en même temps la joue, et le baisa. L'Archiduc demanda Acte, et les Lettres de la réception de son hommage, que le Chancelier commanda au Secrétaire Amys de lui expédier. Après toutes ces formalitez, le Chancelier se leva, ota son chapeau et le bonnet, ou calotte qu'il avoit dessous, fit une profonde réverence au Prince, et lui parla de cette sorte:* Monsieur, je faisois n'a gueres office de Roy, représentant sa personne, et de present je suis Guy de Rochefort vôtre très-humble serviteur, toûjours prêt de vous servir envers le Roy mon Souverain Seigneur et Maître en tout ce qu'il vous plaira me commander. *L'Archiduc repondit:* Je vous remercie, Monsieur le Chancelier, et vous prie qu'en toutes mes affaires envers mon dit Sieur le Roy, vous me veuillez toûjours avoir pour recommandé.

(11) Formulas inuestiturae habes apud THEODORVM GOTHOFREDVM, *Ceremonial de France* Tom. II. p. 664. et p. 673.

§. XIX.

Quae supra in feudi ligii definitione summatim indicauimus, ea iam operae pretium erit paulo vberius explicare. Imprimis affirmauimus, neminem, nisi qui nullum recognoscit superiorem, vasallos ligios habere posse. Quod vt eo clarius pateat, examinanda nobis sunt, quae pro contraria opinione videntur pugnare. Inter illa regionum nonnullarum vsus principem tenet locum. Adducuntur enim quaedam Galliae exempla,

empla, vbi non ſolum Regis vaſalli atque ſubiecti vaſallos ligios habuere, ſed etiam contra Regem bellum geſſerunt (1). Sed quamquam negari non poſſit, antiquiſſimis temporibus maximam fuiſſe vaſallorum in Gallia auctoritatem, adeo vt ipſe Rex, conſtitutione ſingulari, maioribus vaſallis conceſſerit vaſallis ſuis ligiis in bello contra illum vti; neque inde inferiores iſti vaſalli feloniae rei exiſtimati fuerint, vt fuſius FRESNEVS oſtendit (2): recentiori tamen aeuo arctioribus vaſallorum poteſtatem limitibus circumſcriptam eſſe, cum CAR. MOLINAEO, nulli alii, quam Regi ac Superiori ligeitatem praeſtari, in feudis vero dominorum inferiorum hanc vocem tantum abuſiue ſumi, recte contendente (3), agnoſcit (4). Imo ipſa illa tam celebrata lex ad caſum ſolummodo denegatae iuſtitiae eſt reſtricta (5). Vnde etiam ſuperiori adhuc ſaeculo Rex Ludouicus XIII. Viauillium contra oppreſſionem ducis Niuerni, cuius erat vaſallus, vt fertur, ligius, tuitus eſt, feudo illum priuare ideo conantis, quod grauidam vxorem ſuam ex mandato Regis aditu vr-

bis Rhemenſis, arcuiſſet (6). In Anglia peculiari ſtatuto ſancitum fuiſſe videtur, vt nemo, niſi Rex, vaſallos ligios habere poſſet (7). Neque facile effingas caſum, quo vaſalli ligii dominis ſuis ſeruitia contra Regem citra rebellionis, quam omni iure vetitam eſſe, quilibet intelligit, labem, praeſtare queant, quippe in omni regno prima ſemper ratio haberi debet eius, penes quem ſumma eſt poteſtas.

(1) Vid. BOVLAINVILLIERS *Hiſtoire de l'ancien Gouvernement de la France* Tom. I. Lettre V.

(2) Diſſert. 13. ad IOINVILLAM.

(3) In *Conſuetud. Pariſ.* Art. 1. Gloſſ. 5. verb. Fief, §. 9. et 11. Idem ſentit ROSENTHAL in *Synopſi Feud.* c. 2. concl. 3. GOTHOFREDVS ANTON. In *Diſput.* feud. 1. th. 3. TH. CRAGIVS *Feudor.* L. I. Tit. X. §. 13. aliique complures.

(4) In voc. Ligius p. 204.

(5) Totam legem exhibet CANTARELLVS FABER, caput autem eius quintum BOVLAINVILLIERS loco dicto, quod huius eſt ſententiae: *Si le Seigneur à ſon Homme-lige lui dit, venez vous en avec moi, car je veux y aller guerroyer le Roi mon Seigneur, qui me refuſe la juſtice de ſa Cour, l'Homme-lige doit répondre en cette ſorte à ſon Seigneur.* Monſieur, j'irois volontiers auprès du Roi, afin de ſavoir au vrai ce que vous dites qu'il vous a dénié ſa Cour. *Et lors il viendra au Roi lui diſant ainſi.* Sire, le Seigneur à qui je dois la foi m'a

dit

dit que vous lui aviez refusé le jugement de votre Cour, et pour ce je suis venu expressément savoir ce qui en est; car mon Seigneur m'a semoncé d'aller en guerre contre vous. *Et, si le Roi lui répond qu'il ne fera nul jugement en sa Cour, c'est à-dire, qu'il est le maitre, et qu'on lui doit obéir, l'homme s'en retournera incontinent à son Seigneur, le quel lui doit fournir ses dépens; et, s'il ne vouloit aller avec lui, il en perdroit son Fief pour droit etc.*

(6) GRAMONDVS lib. II. ad annum 1616. et MEZERAI *Histoire de la mere et du fils* Tom. II. p. 109. seq.

(7) Colligit hoc FRESNEVS ex BRACTONO L. II. c. 35. §. 5. Quod etiam confirmat Charta sub Eduardo I. apud PRYNNEVM in *Libertatibus Eccles. Angl.* T. III. p. 201. *Quod cum dominus Rex, ratione Regiae dignitatis et coronae suae, tale habeat priuilegium, quod nullus in Regno suo, de aliquo, qui sit de Regno Angliae, alicui homagium seu fidelitatem ab aliquo recipere debeat, nisi facta mentione de fidelitate, eidem domino Regi obseruanda etc.*

§. XX.

Alia non minoris momenti quaestio hic occurrit, vtrum aliquis simul duorum dominorum vasallus ligius esse queat, quae a plerisque iuris beneficiarii interpretibus negatur, quia vnum ex illis semper excipere debeat vasallus, neque vtrique ligia possit praestare seruitia. Tantum autem abest, vt negantium argumenta nos moue-

ant, vt potius affirmatiuam amplecti ſententiam nulli dubitemus. Non ſolum enim conſentientes habemus leges feudales, quae, ſi praeter feudum ligium, quod iam poſſidet, aliud hereditario iure ab alio domino acquirat vaſallus, tum recentiori per ſubſtitutum ſeruire permittunt (1); ſed etiam ipſa feudi ligii indoli nihil inde decedit. Cum nempe hodie ſeruitia militaria plurimum per pecuniam vel milites ſtipendiarios praeſtari ſoleant, quae plerumque determinata ſunt, vtrique domino, ſine alterutrius laeſione, fidem ſeruare auxiliumque ferre poteſt vaſallus. Ita tamen hoc temperandum erit, vt non promiſcue, ex vtroque feudo, ſed ex eo tantum cuique domino ſubſidia mittat, quod ab ipſo habet, adeoque obſequium non tam perſonale, quam reale, praeſtet. Rem egregie illuſtrat exemplum ducis Lotharingiae, qui de ducatu Barri regi Galliae (2), Imperio autem intuitu feudorum, quae ab illo tenet, ligio vinculo eſt obſtrictus, et neutri tamen auxilia poteſt denegare.

(1) II. Feud. 99.

(2) Diu quidem dubia fuit formula ducatus Barri, notaque eſt acris de ſupremo illius dominio inter CHIFLETIVM et BLONDELLVM contentio, quorum ille pro iure Imperii *Commentarium Lotharienſem:* hic pro iure Gallici regni *Barrum Campano-Francicum* edidit. Sed Rex Gall. in poſſeſſione vel quaſi eſt dominii directi.

§. XXI.

Praeter has quaeſtiones nonnulla adhuc ſingularia haud intacta relinquere poſſumus, quae, tanquam feudorum ligiorum propria, DD. recenſere ſolent (1). Primum eſt, vt non admittatur poenitentia, ſecundum, vt vaſallus perſonam, et conſequenter omnia ſua bona, poteſtati domini et eius iuriſdictioni ſubiiciat, tertium, vt in inueſtitura nominatim exprimatur, id, quod conceditur, feudum ligium eſſe. Primum quod attinet, adeo inter ſe diſſentiunt interpretes, vt tot fere illud impugnaſſe videas, quot defenderunt. Qui affirmatiuam tuentur ſententiam, ad leges feudales Longobardorum (2) prouocant, quibus venia refutandi feuda omnibus vaſallis conceditur. Amplius vrgent, feuda in vtilitatem vaſallorum concedi, cui pro lubitu quiſque re-

nuntiare poſſit (3). Contraria vero quibus placet opinio, contendunt, hominem ligium non poſſe ab obedientia et ſubiectione eius, cui fidem dedit, recedere (4), feuda praecipue pactis inniti, quae non ſine conſenſu vtriuſque partis diſſolui poſſint. Alias enim vaſallo, quando feudo ſatis fruitus fuerit, iamque in eo ſit, vt ſeruitia debita praeſtare debeat, ſemper integrum foret illud refutare, ſeu reſignare: Si vero dominus nullum inde damnum perciperet, non denegaturus foret vaſallo licentiam refutandi.

(1) Vid. GEORG. OBRECHTVS *Feudorum* L. I. c. V. n. 115. ſeqq.

(2) II. F. 38. 49. conf. IO. OTTONIS TABORIS *Exercitium Iurid.* de *Refutatione Feudi* c. III. inter opera eius, cura et opera ANDR. MYLII Lipſiae 1683. edita, Vol. II. p. 585.

(3) His ſubſcribit ITTERVS c. XXII. §. 9.

(4) BALDVS in cap. caeterum 5. de iudic. Idem ex SCHNEIDEWINO COPPEN Obſeru. *feud.* 2. n. 35. obſeruat.

§. XXII.

Alterum ſingulare duo continet momenta: vtrum magis inhaereat vinculum ligium perſo-

nae,

nae, an rei, itemque an eo ipſo omnia ſua bona poteſtati et iurisdictioni domini ſubiiciat vaſallus? Primum negare non dubito, cum neque leges, neque vſus illud corroborent. Qui autem affirmare auſi ſunt, vaſallos ligios, aut cum *litis*, qui plane ſubiecti erant, aut cum iſtis, qui tam perſonaliter, quam realiter, ſe obſtrinxere domino, et de quibus iam ſupra egimus(1), confuderunt. Cum vero nulla in alia re feuda ligia a reliquis differant, quam in conditione adiecta praeſtandorum ſeruitiorum contra quemcunque, neque in eo nobis differentia quaerenda eſt, in quo cum omnibus feudis conueniunt, ſcilicet vt obligatio eorum magis inhaereat rei, ſeu fundo, quem in feudo habent, quam perſonae. Hoc vel ex eo etiam liquet, quod, vaſallo quocunque modo feudum ligium amittente, vinculum inter ipſum et dominum ſtatim ſoluitur. Accedit, quod ſi non tam rem, quam perſonam afficeret vinculum ligium, nulla remaneret differentia inter ſubiectum et vaſallum ligium, quos tamen longe diſtare, et nomina arguunt, et res ipſa docet. Quae omnia

ſi rite

ſi rite perpendamus, facile intelligemus, alterum momentum eo ipſo corruere, quod nexus feudalis bona vaſalli allodialia plane non comprehendit. Tertium denique, quod commemorauimus, ſingulare, nullo plane nititur fundamento. Sufficit enim, re ipſa feuda ligia eſſe, vt pro talibus habeantur, nec opus eſt, vt in inueſtitura nomen exprimatur.

(1) §. X.

§. XXIII.

Cum igitur vinculum ligium neque ſubiectionem, neque perſonalem regulariter inuoluat obligationem, nihil obſtat, quo minus Rex quoque vaſallus ligius eſſe poſſit. Seruitiorum enim tantum militarium praeſtationem in ſe ſuſcipit, quod non magis principis maieſtati quicquam detrahit, quam foedus mutui auxilii inter duos principes, in quo alter ab altero aeque militaria auxilia ſtipulatur, ſalua vtriuſque maieſtate (1). In eo igitur ſolummodo differunt haec pacta, vt vni vinculum feudale adiectum, alterum vero ſimpliciter ſit initum. Proſtant etiam exempla, quae

ſatis

ſatis teſtantur, Reges a Regibus, immo ab inferioribus etiam, feuda tenuiſſe. Ita Reges Daniae olim, Magnum a Lothario II. (2), Suenonem et Waldemarum a Friderico Barbaroſſa (3), praeſtito hominio, inueſtitos eſſe, hiſtoriarum docent monumenta, quae ſollertiſſimus nobiſque amiciſſimus foederum inter Imperium Rom. Germ. et Regnum Daniae interpres, DETL. REVENTLOVIVS, annotauit (4). Ludouicum XII. Galliarum Regem, a Maximiliano I. Imperatore inueſtituram Ducatus Mediolanenſis petiiſſe atque obtinuiſſe, ſcimus (5). Non minus, inter tractatus pacis Monaſt. Gallos, quantumuis alioquin gloriae ſtudioſos, paratos fuiſſe, conſtat, et III. Epiſcopatus Lotharingiae, Metenſem, Tullenſem atque Virdunenſem (6), et Landgrauiatum Alſatiae (7), in feudum ab Imperio recognoſcere, earumque ditionum nomine tantundem ad collectas imperii conferre, quantum Electores; ſed conſultius viſum eſt pleno iure illas Regi Gall. relinquere. Subinde etiam dominos directos inferiores eſſe vaſallis ſuis, docent

I exem-

exempla eorundem Regum Galliae, quos olim hominium Ducibus Burgundiae intuitu comitatus Bononienſis praeſtitiſſe, FROISSARDVS teſtis eſt (8). Item Rex Daniae a Duce Brunſuico-Luneburgenſi tractum Stadtlandienſem et Budiadingenſem in comitatu Oldenburgico feudali lege tenet (9). Similiter Electores ſeculares ab Epiſcopo Bambergenſi de officiis certis inueſtiuntur (10). Quae cum ita ſint, feudaque ligia nulla in re differant a reliquis feudis, quam in promiſſione auxilii contra quemcunque hoſtem, illa quoque in ſummos principes cadere, tralatitium eſt. Nec hic deſtituti ſumus exemplis. Pontifex enim Romanus Clemens Regem Siciliae vaſallum ligium appellat (11). Pari modo Regi Galliae Eduardum II. Angliae Regem, vinculo ligio obſtrictum fuiſſe, patet ex ipſa eius profeſſione, quam ſupra exhibuimus (12).

(1) Qua in re conſentit GROTIVS de I. B. et P. l. 1. c. 3. §. 23. n. 2.

(2) De hac inueſtitura HELMOLDVS L. I. c. 50. *Venitque Lotharius cum grandi exercitu prope ciuitatem Sleſwick, ad*

ad vallum illud notissimum Dinewerth, vlturus mortem funestam optimi viri, Canuti. Consederat e regione Magnus cum immenso Danorum exercitu, defensurus terram suam. Sed territus virtute Teutonici militis, apud Caesarem immenso auro et hominio impunitatem indeptus est.

(3) De Suenone ipse FRIDERICVS testatur in Epistola ad OTTONEM FRISING. apud VRSTISIVM *Scriptor. Rer. Germ.* P. I. p. 403. Idem confirmat OTTO FRISING. L. II. c. 5. et GVNTHERVS in *Ligurino* L. I. v. 537. De Waldemaro testimonium perhibent RADEVICVS I. c. 24. et GVNTHERVS in *Ligur.* L. VII.

(4) In erudita Diss. de *Nexu foederum inter Imp. Rom. Germ. et Regnum Dan.* quam superiori anno in hac Academia ex cathedra JCtorum dexterrime defendit.

(5) Hac de re P. HEVTERVS *Rer. Austr.* Lib. VII. cap. 7. ita habet: *Exinde Rex Ludouicus Georgium Ambrosium, Cardinalem Rothomagensem, ad Caesarem in Germaniam, Hagenoae comitia celebrantem, mittit, suo ei nomine clientale sacramentum de Ducatu Mediolanensi ac Comitatu Ticinensi Angleriaeque diceret, quemadmodum pacis conditionibus superiori anno conceptis erat conuentum, praesentetque dimidiam promissae pecuniae partem, reliquum ex pacto numeraturus, cum Caesar in Italiam venisset. Ambosius diploma a Caesare Hagenoae accipit, quo conditionibus pacis anni praecedentis Rex in possessionem Ducatus Mediolanensis, vt cliens a patrono, constituebatur. Huius diplomatis exemplum, Hagenoae dictis legibus septimo Aprilis huius anni exaratum legi.* Formula iuramenti, a Legato nomine regis praestiti, sequentem in modum concepta legitur apud DV MONT, *Corps Diplomatique* Tom. IV. P. I. p. 60. *Ego Georgius de Ambasia, Tituli Sancti Sixti Presbyter Cardinalis Rothomagensis ac Apostolicae Sedis de latere Legatus per Regnum Franciae, promitto et iuro*

nomine et vice, et Mandato Sereniſſimi ac Chriſtianiſſimi Domini Ludouici, Francorum Regis, vti Ducis Mediolani, vigore Mandatorum, a praefato Chriſtianiſſimo Rege mibi traditorum, in Perſonam et animam ipſius conſtituentis, ſuper Sacroſancta Dei Euangelia, per me corporaliter tacta, Vobis ſacratiſſimo et inuictiſſimo Principi et Domino, Domino Maximiliano, Romanorum Regi ſemper Auguſto, Domino meo clementiſſimo, Caeſareaeque Veſtrae Maieſtatis Succeſſoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus, ſacroque Romano Imperio, quod praefatus Sereniſſimus Rex Francorum, vt Mediolani Dux, cum ipſo Ducatu et ſuis pertinentiis vult et debet ex nunc in antea Maieſtati Veſtrae, tanquam Romanorum Regi, ſuo vero Domino, et Succeſſoribus ſuis praefatis eſſe fidelis, obediens, et ſeruiens, bonum et ſalutem, vtilitatem et honorem Veſtrae Maieſtatis, et Sacri Romani Imperii, pro viribus promouere, damna auiſare, et auertere, iuxta omnem poſſibilitatem ſuam; et ſi ipſum in aliquo conſilio eſſe contigerit, in quo contra Maieſtatem Veſtram et Sacrum Romanum Imperium quidquam actum aut attentatum fuerit, Maieſtatem Veſtram auiſare debet et velit. Et alia omnia facere et adimplere, quae fidelis Princeps Vaſallus Maieſtatis Veſtrae et Sacri Imperii, eidem Maieſtati Veſtrae et Sacro Romano Imperio facere, exhibere, et praeſtare debet et tenetur, dolo et fraude ſemotis. Ita me Deus adiuuet, et Sancta Dei Euangelia.

(6) Conſtat hoc ex litteris Comitis BRIENNAE, d. 17. Febr. 1646. ad Legatos Gallicos ſcriptis, Tom. III. *des Negotiations touchant la paix de Munſter et d'Oſnabrug* p. 72. *Il ſemble, que le dit Trautmannſdorff prétende faire valoir le deſiſtement des dits Evéchez nous en laiſſant la Souveraineté: Mais de cela nous faiſons ſi peu de compte qu'en acceptant la proprieté nous nous contenterons de la Souveraineté regalienne, et de les poſſeder avec les privileges, dont jouiſſoient les Eveques et la Ville de Mets, ſous la feudalité de l'Empire, en conſeruant néanmoins le Parlement, et privant la Chambre de Spire*

Spire des appellations civiles, qu'on y relevoit, avant l'erection du dit Parlement, et on donne pour exemple, que le Comté de Bourgogne pour être Fief du même Empire, le comte ne laisse pas d'y avoir ses Juges Souverains, sous le même titre de Parlemeut. add. Acta publica in Continuatione XX. *Diarii Europaei* in Appendice p. 297. seq. sub tit. Bericht, was wegen der Metz- Tull- und Verdunischen Lehn-Sachen bishero vorgegangen.

(7) Id probant litterae Regis ad Legatos d. 26. April. 1646. *Sa Majesté consent bien de tenir le Landgraviat d'Alsace à titre de Fief, mais on ne peut pas passer la clause que les imperiaux ont mise pour restraindre cela au Roi, à Monsieur, et à leurs successeurs mâles. Sa Majesté desire donc, que l'on fasse tout l'effort possible, à fin que ce soit pour tous les Rois de France à venir, et en cas que cela ne se puisse absolument obtenir, que ce soit du moins pour tous les Princes de la Maison Royale présentemens vivans, ou leurs descendans mâles, qui viendront à succeder à la Couronne.* Et paulo post: *Sa Majesté estime plûtôt avantageux que prejudiciable de payer les collectes à l'Empire, pourvû qu'on ait séance et voix deliberative dans les diétes, a condition qu'en contribuant autant qu'un Electeur seculier, ce soit pour tous les Etats qui demeureront à la France, relevant de l'Empire.* Vid. *Negotiations de la paix de Munster &c.* T. III. p. 163. iunct. p. 244. vbi extat consultatio, vtrum Galliae magis conducat, terras ab Imperio cessas, in feudum recipere, an libero iure tenere?

(8) Quod ex Codice eius, manu exarato, SCALIGER, et ex eo FVRSTENERIVS obseruat de *Iure Suprem.* c. XXVII. extr.

(9) Conf. BILDERBECK Teutscher Reichs-Staat. P. IV. c. I. §. 23. ibique laudatos not. 36.

§. XXIV.

Nihil iam superest, quam vt, quae generatim hactenus de feudis ligiis adstruximus, speciatim ad feuda Imperii Romano-Germanici applicemus. Vbi quidem in limine statim deprehendimus haud paucos, qui, vinculum feudale ligium in Gallia et Italia non infrequens, in Germania vero plane incognitum esse, contendunt (1). Neque tamen minorem numerum ITTERVS (2) coegit eorum, quibus contraria sententia se probauit. Medii inter vtrosque incedunt, qui, sicut iam supra (3) obseruauimus, vel vinculum subiectionis cum nexu feudali ligio confundunt, vel ligium vasallum et immediatum vnum eundemque esse, credunt, adeoque hanc feudorum diuisionem ex hypothesi sua feudis Imperii accommodant. In tanta scriptorum, in diuersa plane abeuntium, copia, in nullius verba iurare, sed ipsa rerum argumenta expendere tutissimum rati, feudorum ligiorum indolem, qualem supra exhibuimus, ad feuda Imperii omnino quadrare, breuiter ostendemus.

demus. Ad illam vero imprimis requisiuimus, vt nemo, nisi supremus in Republica, possit esse dominus directus. Hoc in Imperio quoque locum habet, cum tota illius compages id non ferat aliter, et sola in illo suprema potestas ligios habere possit vasallos. Leges etiam feudales Imperatorem in omni sacramento feudali excipi iubent. Quae igitur de vasallis ligiis statuum Imperii afferuntur exempla, huc minime pertinent, et apertura castrorum, quam Hassiae Landgrauius, Ludouicus, quondam a Comitibus a Waldeck aduersus omnes hostes suos, nemine excepto, sibi stipulatus esse legitur (4), non proprie, sed analogice tantummodo, clientela ligia dici potest. Argumentis, quibus in contrarium vsus est IAC. CAR. SPENERVS (5), qualitatem ligiam in subfeudis Imperii admittens, in regalibus vero feudis negans, aliqua ex parte iam alii satisfecerunt. Neque dubia eius tanti sunt ponderis, vt facile remoueri non possint. Quae enim potissimum vrget, Imperatorem sta-

tus

tus Imperii in conſortium ſummae poteſtatis adſciuiſſe, adeoque ſine illorum conſenſu bellum gerere nequire, quin ſaepius, auxilia eorum requirentem, repulſam tuliſſe, haec omnia non impediunt, quo minus ligius nexus in illos cadat; quandoquidem hic non collectiue, et quatenus ſimul imperant, ſed, tanquam ſinguli, ſunt conſiderandi, quo reſpectu, ſi bellum ab vniuerſo Imperio ſit decretum, neque Imperator ſolus intuitu prouinciarum ſuarum illud ſuſceperit, auxilia ipſi et Imperio, vtpote vtrique fide feudali adſtricti, denegare non poſſunt, quod ex ſuperioribus dictis (6) iam ſatis clarum eſt. Sicuti praeterea indoli cuiuſuis reip. conuenit, vt, qui illam conſtituunt, eam quoque aduerſus hoſtes omnibus viribus tueantur: ita iam antiquiſſimis temporibus in feudis mos ſeruatus fuit, vt vaſalli, ſi nulla alia ſeruitia praeſtarent, patriam tamen defendere oporteret (7). Neque vinculum illud ligium libertati, cuius ſemper ſtudioſi fuerunt ordines Germaniae, iuribuſue illorum maieſtaticis

quid-

quidquam detrahit. Namque, vti paulo ante monuimus (8), neque perſonas eorum, neque reliqua bona, ſed ſolum feudum afficit, pactoque imprimis innititur, quo ſe ad opem Imperatori et Imperio ferendam obligare conſueuerunt. Simili nexu etiam reges ipſi mutuo ſe obſtringere poſſunt. Alteram notam, qua feuda ligia a reliquis diſtinximus, in eo poſuimus, vt vaſallus domino contra quemcunque, nemine excepto, auxilium praeſtet. Hanc itidem feudis Imperii eſſe conuenientem, eo minus dubii habet, quo magis ex iis, quae iam praemiſimus (9), liquet, bello Imperii declarato, ſtatibus non licere neutras ſequi partes, euidentiſſimo indicio, ab ipſis contra quemcunque imperii hoſtem auxilia eſſe mittenda. Nihil moramur, quod ſecus ſentientes amplius obiiciunt, ſcilicet, neque in inueſtituris feudorum Imperii, neque in formulis iuramenti, quod ſtatus praeſtare ſolent, vllam vinculi ligii fieri mentionem. Praeterquam enim, quod varia exem-

pla contrarium euincunt (10), saepiusque etiam rerum Germanicarum scriptores ligios Imperatoris vasallos commemorant (11); iam indicauimus (12), non opus esse ad essentiam feudi ligii, vt verbum hoc expresse inseratur sacramentis feudalibus; id quod in feudis Imperii non magis necessarium est, cum de fide statuum Imperii ligia ex constitutionibus publicis totoque Reipublicae Germanicae nexu iam satis constet. Agnouit hoc personatus CAESARINVS FVRSTENERIVS (13), pro libertate atque dignitate principum alias acerrime propugnans. Immo, qui inter ordines Imperii primum tenent locum, Electores ipsi videntur id professi esse, dum in Vnione Electorali, Rensae anno MCCCXXXVIII inita (14), ita se ad mutua auxilia deuinxerunt: *Vnanimiter conuenimus et nos confoederauimus, quod praedictum Imperium et nostrum principalem honorem, quem ab eo obtinemus, videlicet in electione Imperii, in illius ac nostris iuribus, priuilegiis, et consuetudinibus, sicut ab antiquo ad*

nos,

nos, et ad Imperii electores peruenerunt, et deuoluta sunt, manutenere, tueri ac defendere, volumus, pro omnibus nostris viribus ac opibus, sine fraude, CONTRA QVOSCVNQVE, NEMINE EXCEPTO; *siquidem hoc nostrum honorem et iuramentum attingit.*

(1) Inter quos agmen ducit TH. MICHAEL, apud KLOCKIVM, *Relat. Camer.* XXVI. n. 50. et 65.

(2) de *Feud. Imp.* c. II. §. 12.

(3) §. XII. sq.

(4) In inuestitura Comitatus Waldeccensis de anno 1438. apud LONDORP. L. VI. c. 10. n. 2.

(5) In *Primitiis obseruationum Historico-feudalium* Obs. II. not. o. sqq.

(6) §. IX.

(7) Quod supra ostensum est §. V. et VIII.

(8) §. praeced.

(9) §. IX.

(10) Ita Ducem Lotharingiae contra omnes Imperatori et Imperio fidelitatem iurare sueuisse, ex formula homagii patet, quam ex CHIFLETIO adducit FVRSTENERIVS *de Iure suprematus* cap. LVI. *Promitto et iuro ad haec sancta Dei Euangelia, corporaliter per me tacta, quod ex nunc in antea fidelis et obediens ero Vobis Serenissimo Principi et Domino - - - - - Romanorum Imperatori semper Augusto, Domino meo Clementissimo, omnibus*

bus Maiestatis Vestrae Successoribus Romanorum Imperatoribus et Regibus legitime intrantibus, *et Sacro Romano Imperio;* contra omnes homines: *et non ero in consilio, participatione, vel tractatu, vbi quicquam agetur contra Personam, honorem aut statum Maiestatis Vestrae, et Sacri Romani Imperii, neque in id vllo modo consentiam, sed bonum, vtilitatem et honorem Maiestatis Vestrae et S. Romani Imperii fideliter promouebo, et si quid tractari cognouero contra Maiestatis Vestrae Personam, honorem et statum, huic pro virili obstabo et Maiestatem Vestram incunctanter admonebo omniaque alia et singula faciam, ad quae fideles Principes et Vasalli Imperii Domino suo Romanorum Imperatori et Sacro Romano Imperio de iure vel consuetudine tenentur, dolo et fraude semotis: Ita me Deus adiuuet, et haec sancta Euangelia.* Varias tabulas inuestiturae feudorum, quae Dux Lotharingiae ab Imperio tenet, commemorat, ipsamque feudorum designationem cum formula iurisiurandi, quo post initam Noribergae an. 1542. inter Ferdinandum et Antonium Ducem transactionem, Caroli, Antonii nepotis, nomine, fides obligata Imperio fuit, exhibet Illustr. MASCOVIVS in Dissert. de *Nexu Regni Lotharingiae cum Regno Germaniae* §. XII. sq. Iuramento quoque ligio status Italiae Friderico I. Imperatori se obstrinxisse, RADEVICVS de *Gestis Frider. I.* Lib. I. cap. 19. testatur. Fridericum, Electorem Palatinum, anno 1559. simile iuramentum praestitisse, formula indicat apud GOLDASTVM, in den Reichs-Satzungen p. 192. Ich Friedrich, Pfalzgrave bey Rhein, des heiligen Römischen Reichs Ertztruchses und Churfürst, Hertzog in Bayrn :c. gelobe und schwere auf das heilig Evangelium, welches ich hiemit leiblichen berühre, daß ich nun hinführo von dieser Stund an, getreu, gehorsam, hold und gewertig sein sol und wil, euch dem Aller Durchleuchtigsten Großmächtigsten Fürsten und Herrn, Herrn

Fer-